Leo Philoſophus Imp. Conſtantinum Andronici filium, A carcere Saracenorum elapſum, ad ſe vocavit, doniſque variis affectum, à primo congreſſu, cùm aureo triclinio eſſet exiturus Conſtantinus, revocavit: atque oculis in imagines Chriſti, & Deiparæ, quæ ſupernè erant collocatæ, defixis ſic affatus eſt: Conſtantine, vide, ne imponat tibi nomen tuum, neve ob id Romanis te imperaturum opineris, etenim filio meo Conſtantino id imperium divinitùs eſt deſtinatum, quòd ego comperi prædictionibus divinorum hominum, caſtitate ſua futurorum præſcientiam nactorum. Locum itaque tuum tene, neque te ſuperiora ſomniaveris, alioqui ſcito, tuum, ſi tyrannidem affectaveris, caput trunco relicto per hanc portam illatum iri. Mortuo Leone, cùm Conſtantinus invaſiſſet Imp. ibi obtruncatus eſt, caputque tabo, & cruore ſtillans, per dictam portam eſt in Regiam allatum. *Cedren.*

Mauricio Imp. Herodianus palàm, quæ ipſi eventura eſſent, denunciavit. *Cedren.*

Isaacius Angelus Imp. Græcorum, ad Radœſtum maritimam urbem profectus, Baſilacium convenit, inuſitatæ vitæ hominem, eamque opinionem apud omnes conſecutum, quaſi futura prævideret, atque prædiceret. Is Imperatori ſalutanti nihil reſpondit, neque tacito nutu capitis gratias egit, B ſed huc atque illuc inſtar hominis furioſi ſaltans, accedentibus maledixit. Tandem ſcipione, quem manibus geſtabat, imagini Imperatoris, quæ in ejus oratoriæ cellæ pariete depicta erat, oculis eraſis, etiam pileum de capite auferre ſtudebat. Imperator eo ut deliro deſpecto receſſit. At non multò pòſt à fratre Alexio & oculis, & imperio privatus eſt, & opinio de Baſilacio confirmata eſt, quæ anceps priùs, & in pleriſque dubia fuerat. *Nicetas lib.* 3.

Manuel Comnenus, ſpe longioris vitæ depoſita, monaſticum habitum poſtulavit. Sic & vita, & imperio ceſſit, quod annos triginta octo gubernavit, tribus menſibus demptis. Ad quod imperii ſpacium, vetuſtiſſimum illud oraculum alludere videtur:

Tui prehendet te poſtrema nominis.

Nam ΗΑ poſtrema ſyllaba nominis Manuelis, apud Græcos tatum numerum complectitur. *Nicetas lib.* 7.

C Andronicus Comnenus tyrannus, ludis aliquando Circenſibus extenſa manu Imperatori Manueli Comneno patrueli ſuo illas duas columnas in theathro, intra quas pedibus ſuſpenſus eſt, digito monſtravit, ac dixit: Fore, ut aliquando Romanorum Imperator, multa priùs à populo perpeſſus, intra eas ſuſpenderetur. Manuel reſpondit id ſibi non uſu venturum eſſe. Tandem exitus iſte ipſum Andronicum oppreſſit. *Nicetas lib.*2.

Cùm exercitus Alexii Angeli Imp. à Blachis eſſet profligatus, Sacerdos quidam captivus, Blachicæ linguæ peritus, cùm in Hæmum abduceretur, Aſanem Blachorum principem oratione obteſtatus eſt, ut ſe dimitteret. Ubi id ille renuit (neque enim ſibi propoſitum eſſe Romanos dimittere, ſed perdere, idque Deo etiam probari) ille cum alio ſuſpirio ſubjecit: Nec ipſi reliquam eſſe Dei miſericordiam, quòd viri pauperis, Deo ob ſacerdotium familiaris, non ſit miſertus, ac inſtare ei cruentum vitæ exitum. Paulò pòſt in Myſiam reverſus, ab Ibanco quodam intimo ſuo, quem ob ſtuprum ſorori uxoris ſuæ illatum acerbis verbis reprehenderat, occiſus eſt. *Nicetas lib.*1. *de imperio Alexii.*

Romani in Sylveſtrum II. PP. ſeditiones moverant. Ad eas D compeſcendas cùm Otho III. Imp. iter pararet, à Romualdo eremita convenitur, atque ut ob fidem Creſcenti Coſ. Rom. violatam, piaculi cauſa, ſicut ſæpe hortatus fuerat, monachum induat, admonetur. Tum Otho, Obſequar tibi, inquit, ſancte pater, poſtquam Romanos novas ſeditiones cientes domuero, Ravennamque revertero. Cui Romualdus: Si Romam iveris, inquit, Ravennam ampliùs non videbis. Qua voce haudquam exterritus Romam perrexit, ubi Domini Natalia celebravit, ac civitatem, Eccleſiamque legibus formare, atque in antiquum ſtatum redigere inſtituit. Quòd iniquè paſſi Romani, novam conjurationem adversùs eum fecerunt, atque armis arreptis aliquot ex militibus ejus occiſis, ipſum in prætorio obſederunt. Quibus Otho, cùm ſe opibus parem non eſſe ſentiret, egregia Henrici Ducis Bavariæ, & Hugonis Marchionis induſtria, conditionibus ſimulatis eductus, Roma cum Pontifice Sylveſtro deceſſit, ac Lombardiam versùs ire perrexit. Cæterùm Creſcentis uxor, quæ ipſum ſpe regnandi ad amorem ſui pellexerat, diſceſſu ejus dolens, venenatum chirothecarum ſimulatæ amicitiæ munus ad eum miſit: quo ille ſenſim infectus, apud Paternum ex vaticinio ſancti viri extinctus eſt. *Sigon. reg. Ital. lib.* 7.

E Maccabæus Scotorum rex Duncani regis conſobrini ſui cæde regnum adeptus, principem egit optimum domi, foriſque. Tandem metuens ſibi à Banquhone, cujus poſteritati regnum deberi à dæmonibus audiverat, virum innocentiſſimum interfici curavit. At eo tempore proceribus omnibus & ſuſpectus, & infenſus in nobilium ædibus occultos ſpeculatores habens, arcem munitiſſimam in cacumine Douſinanni montis in Gourea, decem à Pertho millibus paſſuum diſtantis, ædificavit: unde totæ penè videri Anguſia, Fiſa, Stermundia, & Ernevallis poſſunt. Cæterùm quò nec lapides, nec cæmenta, nec materia ulla, niſi labore & ſumptu maximo illuc convehi poſſent, præfectos, quos Thanos vocant, ex omni regno ſuam quemque vicem operi adeſſe, ſuiſque impendiis ædificare juſſit. Cùm ad Magduffum Fiſæ Thanum ordo perveniſſet, operas ille, artificeſque ſuos eò miſit, tyranno parùm fidens. Rex operis inſpiciendi gratia in caſtellum veniens, cum Magduffum non reperiſſet: Hic homo, inquit, niſi lupato in os injecto, haud unquam imperio erit obſequens. Nec deinceps æquis illum oculis aſpicere potuit: ſeu quòd nimias ejus opes timeret, ſeu quòd ab aruſpicibus acceperat, Magduffum ſuo inſidiari capiti: eumque jam pridem à medio ſuſtuliſſet, niſi impetum ejus remorata fuiſſet muliercula: in F fatis eſſe dictitans, haud priùs eum hoſtium manibus vinci poſſe, quàm nemus Bitnenſe, ingenti diſtans intervallo, arcem, ad quam ædificabat, translatum eſſet: neque unquam hominis manu ex muliere prognati interimendum. Itaque altero vaticinio ſe invictum fore credebat, altero ferro haud quaquam interiturum. Magduffus intereà in Angliam fugit, ad Malcolmum Cammoir, Duncani regis à Maccabæo interfecti F. revocandum. Is ab Eduardo Anglorum rege impetrato exercitu, Scotiam ingreditur. Maccabæus ad novum caſtellum Dounſinnam caſtra ponit, perſuaſus, non priùs, quam ſylva Birnen eò perducta eſſet, vinci ſe poſſe. At Malcolm. ad Biren ſylvam cum exercitu conſidens, cùm ramum ununquemque militum decerpere juſſiſſet, prima noctis vigilia iter ingreditur. Tao deinde trajecto, ſublatis in altum ramis, prima aurora in hoſtium conſpectum venere. Maccabæus nova ſpecie territus, & oraculi memor, tamen in pugnam milites ſuos edu- G cit. Vix acies concurrerant, cùm ipſe fuga deſeruit exercitum. Magduffus privato in Maccabæum odio ejus imminebat tergo. Tum Maccabæus equo deſiliens, Quid me fruſtra infelix perſequeris, qui non ab homine nato interfici poſſum? agedum accede, ut præmium tibi tanti laboris conferam. Magduffus verbo citiùs equo deſiliens: Immò hìc, inquit, hodie omnium tuorum ſcelerum pœnam lues, meaque dextra mactabere: qui non aperto matris utero prognatus, ſed cæſo ejus ventre prodii. Quo dicto caput Maccabæo machæra amputavit, ac conto præfixum ad Malcolmum detulit. *Hector. Boeth. l.*12.

Vortigerno Britannorum regi, cùm adhuc privatus ageret, prædictum fuerat, illum Ambroſii manu periturum. A Saxonibus regno exutus, in Cambriam relegatus, regium nomen vix tuebatur, cùm Aurelius Ambroſius & Uterus, Conſtantini Britannorum regis filii, ex Armorica Britannia adſunt, cædem Conſtantii reges patrui, Vortigerni ſuaſu occiſi, ulturi. Vortigernus in acie deſertus à ſuis gregariis militibus, ut inter eos occumberet, ſe ingeſſit. Sed amicorum opera violenter raptus extra pugnæ locum ad arcem eſt deportatus. Victor Ambroſ. arcem obſidet. Quemque alterum diem itidem atque tertium in arcis oppugnatione conſumpſiſſe: ne H mora in periculum victorem traheret exercitum, exciſis proximo ex nemore lignis, foſſiſque celeriter oppletis, ſuperjectis ingentibus ſtruibus faſciculorum, accenſiſque arcem cum Vortigerno ſimul, ac liberis, & fortunis abſumpſit: quod ei Merlinus vates paulò antè prædixerat. *H. Boeth. lib.* 8.

Cùm Philip. Franc. regi Ludov. filii triſtis caſus nunciaretur, qui equo, intercurſu porci in Lutetiæ ſuburbiis turbato, ferociter excuſſus perierat, Bernardi Clarevallenſis ſermonem in mentem ſibi revocavit. Is enim cùm regem cleri bonis manus iniicientem fruſtrà reprehendiſſet, tandem ſubjecit: Hæc tua, ò Rex, pertinacia, filii interitu mulctabitur. *Guaguin. lib.*5.

Gulielm. Comes Hollandiæ, rex Rom. Friſia ſubacta, cùm juxta quandam civitatem miro opere exornatum reperiſſet ſepulchrum, ac cujuſnam id eſſet, quæreret: cives reſponderunt, Illud occulto fato reſervari cuidam Romanorum regi. Cùm ergo victor equitaret cum paucis, diverticulum quærens, ut ſecuriùs exercitum reduceret, in glacie cecidit. Friſones, qui latitabant, erumpunt, & priuſquàm regi ſubveniretur, cæſus A partim, partim in galea ſuffocatus periit, anno Sal. MCCLV. eidemque tumulo anno regni ſui nono, impoſitus eſt Filius ejus Florentius, quintus ejus nominis poſt vigintiſeptem annos oſſa patris ex Friſia deportavit in Selandiam, Middelburgum, ad monaſterium monialium Præmonſtratenſis ordinis, à filia ejus Richarde fundatum, & cenſibus auctum. *Cuſpin. A. D.*

In Gothia meridionali ſpectantur duo tumuli, ingentibus ſaxis, cipporum loco, impoſita habentes duorum Fratrum corpora, quibus ab aruſpice in prima adoleſcentia prædictum fuerat fore, ut mutuis vulneribus conciderent. Fatum declinaturi, peregrinationem ad remotiſſimas maximèque contrarias orbis partes ſuſceperunt. In extrema demùm ſenecta in patriam reverſi, cùm quiſque fratrem jam pridem obiiſſe mortem putaret, non procul ab oppido Jonaco ſibi invicem ignoti occurrerunt, & ſalute ultrò citroque dicta, & accepta: ſub pinu proxima quieverunt. Mox rixantibus eorum canibus, ipſi quoque ad jurgia primùm, deinde ad vulnera mutua proruperunt, animamque trahentes, & fratres ſe agnoſcentes, in mutuis complexibus expirarunt. *Olaus l.* 1. *de ritibus Se-* B *ptent. l.*37.

Sigthunius rex Sveciæ, dum ſacrificia diis apud Upſalam metropolim offerret, accepto per victimarios reſponſo, didicit ſibi ab auri metallo ſupremam perniciem imminere: à ferro, chalybe, cæteriſque metallis minimè. Igitur, cùm ſe invictum putaret, multa bella ſuſcepit: Filiam ejus Gro- Schioldus, Danorum rex, filio ſuo Gramo conjugem petebat. Sed eam pater nobiliſſimo pugili Sumbli, Finnorum regis fratri, deſponderat. Gramus putans, ſe à Sigthunio contemptum, ferarum pellibus circumamictus, magno diſcrimine ad regiam Sigthunii pervenit, & virginem volentem ſecum abduxit, & Guthormum, poſteà Daniæ regem, & filiam, Sibdageri Norvegiani regis conjugem, ex ea ſuſcepit. Sigthunius injuriam armis vindicaturus, bello Danos perſequitur, Gramus clavam more giganteo geſtans, quàm auro infuſo ponderoſiorem effecerat, ſocerum occidit. *Jo. Magnus lib.* 2. *cap.*6.

Halberſtadienſis Epiſc. Burcardus, decimas Saxoniæ, quæ ad monaſterium Herſueldenſe pertinebant, ſibi vindicabat ratione Epiſcopalis regiminis. Abbas ejus cœnobii, Meginherus, juſſit Epiſc. per Fridericum Palatinum indicari, cùm ad furta reſtituenda nullo jure adduci poſſet, brevi inſtare tempus, quo coram Deo eſſet hæc cauſa dijudicanda. Moritur paulò pòſt Abbas. Et cùm ejus rei gratia Burcardus ſy- C nodum indixiſſet, in itinere lapſus de equo, domum relatus eſt: ubi tum ſuos domeſticos, tum Epiſc. ſe viſitantes rogavit, ut decimas iſtas abſque mora cœnobio reſtituerent: ſe enim injuſtitiæ pœnas jam luere. Anno Domini MLIX. *Schafſnaburgenſis.*

Vencesl. V. Boemorum Rex, duobus tantummodo annis ab obitu patris regnavit, Olmucii à ſicario interfectus ultimus Principum Boemiæ, qui genus, originemque ſuam ad Premiſlaum primum principem referunt. Id quod futurum, tanquam vates, idem Premiſlaus ſub hac verborum ambage denunciaverat: fore, inquiens, ut tum genus Regum Boemiæ deficeret, cùm nepos avi ſui cædem ulciſceretur. Id brevi pòſt accidit, ut Joann. qui Rodolpho ducis Sueviæ ex filia Othocari, Boemiæ regis, à Rudolpho Cæſare in prœlio occiſi, nepos erat, viciſſim Albertum I. Rudolphi filium interficiens, avum ultus fuerit. *Dubrav. lib.* 19. Etenim cùm Albertus Badæ Helvetiorum Vindoniſſam peteret, in trajectu Urſæ fluvii ſejunctus ab aulicis, Joanne nepote cum conjuratis aliquot ſubſequente, & regnum paternum D ſibi tandem reſtitui petente, cùm Albertus per jocum fronde ex arbore decerpta illum diadematis loco uti debere reſpondiſſet, multis vulneribus confoſſus, in ſcorti aulici gremio expiravit, eo loci, ubi pòſt regium monaſterium à Conigfelda Alberti F. Ungariæ regina extructum fuit.

Tradunt ſcriptores, pridie quàm Alex. III. Scotorum rex ab equo præcipitatus moreretur, comitem Merchiarum percontatum ſub noctem inſignem quendam vatem Thomam Leirmunt nomine, Utrùm aliquid in poſterum diem novi eventurum eſſet? reſpondiſſeque illum, imminere vehementiſſimam ventorum procellam, cum maxima totius Scotiæ calamitate, antequam ſol meridiem inſequentis diei prætergreſſus eſſet. Itaque ſuſpenſos omnes in ſequentem diem, Thoma rurſum ad prandium ad comitem Merchiarum invitato, abiiſſe. Verùm cùm ſerenum ubique cœlum appareret, ac jam meridies inſtaret, Comitem per jocum Thomam irriſiſſe: illum verò nihil aliud, quàm meridiem nondum prætergreſſum eſſe, reſpondiſſe: adeòque hóram conſtitutam E expectare juſſiſſe. Priuſquam ea elapſa eſſet, nuncius accurrit, regis præcipitium narrans. Tum Thomas: Hanc eam eſſe dixit procellam, quam ſine liberis mortuo rege (cùm Joan. Baliolus, & Robertus Bruſius de regno certarent) Scotiæ maximam cladem illaturam eſſe certò ſciret. *H. Boet. l.*13.

Pius II. Pontif. prædixit quadriennio antè, ſe in belli Turcici apparatu deceſſurum, hoc verſu ſua ipſius manu ſcripto:

In Turcas bellum dum parat, occubuit.

Anconæ enim fruſtra Chriſtianis principibus expectatis periit. *Campanus in ejus vita.*

Ferdinandus I. Imp. cùm quodam manè pedes abluturus, in vertiginem, & animi turbationem incidiſſet, Zithardo concionatore ſuo aulico vix ipſum ſuſtinente, atque ſe rurſus collegiſſet, ait, Vos putabatis, me prorſus non rediturum, non tam citò id fiet, certus ſum me ante Pentecoſten è vita non migraturum. Cùmque illum diem, & octava attigiſſet, repetiit: Spiritus ſanctus noluit, ut morerer ante feſtum S. Jacobi, ut quomodo iſte peregrinus apud nos, ita ego infans Hiſpaniarum extra ſolum natale cum ipſo peregriner. Diem itaque extremum clauſit Viennæ Auſtriæ, anno Chriſti 1564. 25. F Julii qui eſt dies S. Jacobi, cum vixiſſet annos 61. menſes 5. dies 15. *H. Henninges in Geneal.*

Omina.

Vicit Saul non uno prælio Philiſtæos: verùm ſuprema illa pugna, quæ fuit ipſi regi cum ea gente, fuit & humanorum operum eidem ultimum, præter ſolitum ab eo formidata eſt, tanquam ſibi etiam, & ſuis funeſta. Nec mens futurorum ſollicita, paſſa eſt illum priùs in aciem deſcendere, quàm à Samuelis umbra exploratum habuiſſet, imminere regi, & ipſi regiæ ſtirpi excidium. Perſenſit itaque ſagax rex, inſtare tempus: quod declinare noluit, aut certè non potuit. *Sabell. lib.*9. *cap.*10.

David rex militibus ſuis contra Abſalonem pugnaturis imperaſſe dicitur, ut enixè darent operam, ut filius, etſi hoſtis, ſibi incolumis eſſet, & extra omne vitæ periculum. Præſenſit mens illa filii exitum, ſed obviàm ire non valuit. *Idem.*

Habuit Magdalenæ unctio omnis ſpecierum, quæ ſub ipſum Dominicæ mortis tempus, nardino unxit ungento Chriſtum regem, & magiſtrum: quo delibutus ille, eſt non multò pòſt ſepulchro conditus. Lavit enim vetuſtas, & unxit defuncta corpora: ungi & in conviviis moris fuit. Sed divinam ſapien- G tiam non latuit, quid ſibi vellet præſaga unctio. *Idem.*

In primo Græcorum Epigram. de Eudoxo Gnidio (qui cum Platone in Ægyptum profectus, tredecim annis ſacerdotum familiaritate uſus eſt, teſte Strabone, & Apim de mortis genere conſulens, non voce, ſed geſtu reſponſum accepit) tale extat Epigramma:

Ἐν μέμφει λόγος ἐςί, μαθεῖν ἰδίην ποτὲ μοίρην
Εὔδοξον παρὰ ἄπιδος τοῦ καλλικέρω ταύρου.
Κοὐδὲν ἔλεξε πόθεν βοῒ γὰρ λόγον οὐ πόρε φύσις,
Οὐδὲ λάλον ἄπιδι σόμα ἀλλὰ παρ' αὐτὸν
Λέχρια κἆνος σὰς, προφανῶς λιχμήσατο λώπην,
Δηλῶν ὡς ἀποδύσεται βιοτὴν ὅσον οὔπω.
Καὶ δὴ οἱ ταχέως ἐπελήλυθεν αὐτίκα πότμος,
Πέντε δεκάκις πέντ' ἠδὲ τρεῖς ἐσιδόντα.

Theramenes Athenis in carcere 30. tyrannorum imperio venenum quaſi ſitibundus hauriens, exiguum, quo in imo pateræ ſubſtiterat, terræ alliſit: Propino, inquiens, pulchro Critiæ. Is erat unus è grege tyrannorum, qui ex cunctis ſæviùs, inexorabiliuſque ſe in eum geſſerat. Græcis autem conviviorum mos erat, nominatim deſignare, cui poculum dare H vellent. Mortem igitur habens in viſceribus vir fortiſſimus, jocatur ſimul, & vaticinatur: ſiquidem Critias & ipſæ non multò pòſt eodem veneno ſublatus fuit.

Lacedæmonii ludos ſuos funebres fecerunt, antequam in expeditionem irent, quos ſpectarent eorum parentes. Ipſe Leonidas rex ei, qui dicebat paucos admodùm adducere eum ad prœlium: Multos, inquit, morituros. Uxori proficiſcentem roganti, Nunquid vellet? converſus, Ut bonis, inquit, nubas, & bonos parias. *Plut. de Herod. malignitate.*

Philipp. Alexandr. pater pridie quàm trucidaretur, in ſermone orto, quiſnam eſſet vitæ finis commodiſſimus, Repentinum, inopinatumq; prætulit. Jam cùm Ægis Macedoniæ urbe, nuptiæ Cleopatræ, cùm Alexandro Epirotarum rege à Philippo magnificè celebrarentur, non tantùm ſinguli clariores viri coronis aureis Philippum honorarunt, ſed & inſignium civita- tum

tum complures idem fecerunt. In quibus fuit & ipſorum
A Athenienſium. Eam coronam cùm præco publicè verbis commendaret, inter alia dixit: Si quiſpiam Philippi vitæ inſidiatus, Athenas ſe receperit, eum ſtatim ad pœnam deditum iri. In regio itidem convivio, cùm Neoptolemus tragœdus poema quoddam recitare juberetur, ut Philippi inſtitutum laudaret, & Perſarum regis fortunas maximas elevaret, quæ licet magnæ eſſent, nihilominus in peſſum ruere caſu aliquo poſſent, tale exorſus eſt carmen:

Φρονεῖτε νῦν αἰθέρος ὑψηλότερον
Καὶ μεγάλων πεδίων ἀρούρας,
Φρονεῖτε ὑπερβαλλόμενοι δόμων δόμους,
Ἀφροσύνᾳ πρόσω βιοτὰν τεκμαιρόμενοι.
Ὁ δ' ἀμφιβάλλει ταχύπουν κέλευθον
Ἕρπων σκοτίαν, ἄφνω δ' ἄφαντος προσέβα,
Μακρὰς ἀφαιρούμενος ἐλπίδας θανάτων
Πολύμοχθος ᾅδας.

Vos qui ætheris ſummum, patentes latius
Agros, domorum & celſa culmina nimio
Invaditis ſtudio, temerè vita datum
Curſum tenentes, nunc ſapere par eſt. Iter
Hic ecce nunc apprehendit ignotum ſibi.
Spes namque longas amputans, luctu gravis,
B *Extrema de improviſo adeſt mortis dies.*

Addidit & alia, quæ ad eandem ſententiam omnia tendebant. Verùm Philipp. multùm inde oblectatus, in audiendis his, quæ recitabantur, totus erat, omnem ſuam cogitationem ad interitum Perſarum regis converſam habens. Cæterùm in iiſdem ſacris, cùm corporis cuſtodes negligentiùs circa ſe haberet, à Pauſania uno ex ſtipatoribus, indignè ferente ſtuprum ſibi contumelioſè objectum, interfectus eſt. *Diod. lib.* 16.

Alexander Magnus correptus magnitudine viſendi paludem, quæ erat prope Babylonem, ingreſſuſque naves, cum amicis navigare inceperat. Ibi regia navi à cæteris divulſa, coactus eſt aliquot dies ſolus vagari, adeò ut ſalutem quandoque deſponderit. Interim per anfractus quoſdam difficiles, & multis impeditos arboribus dum progreditur, à ramis ſupernè pendentibus retentum diadema hæſit, deinde in aqua cecidit. Tunc è remigum numero unus adnatans, receptum illud, ut tutius ferret, capiti ſuo impoſuit, atque ad navem venit. Erravit ita Alexander dies tres, & totidem noctes. Liberatus tandem è periculo, & diademate præter ſpem
C recuperato, iterùm vates conſuluit, Quidnam de eo, quod ſibi evenerat, cenſerent? Illi monuerunt, ut magnis, & inſignibus ſacrificiis deos ſibi propitios redderet. Jam cùm Hepheſtionis funus Babylone celebraturus eſſet, per edictum Aſiæ civitatibus nunciari juſſit, ignem, qui ab Perſis dicitur ſacer, extinguerent, quoad funebris ederetur pompa. Id verò Perſis erat in more, ſi obiiſſet rex, aliàs haud quaquam. Etſi verò hoc amicitiæ extremo honore datum videretur, tamen fuiſſe Alexandro ominoſum, docuit eventus. Babylone poſitis veſtibus unctus pila ludebat. Ibi juvenes, qui pila luſerant, ubi reſumenda erant pallia, hominem contemplantur tacitum in ſolio ſedentem, diademate, & amictu regio ornatum. Hic in quæſtione interrogatus, Quis eſſet? diù non reddidit vocem. Vix tandem, cùm ad ſe rediiſſet Dionyſium ait dici ſe, eſſe Meſſenium genere, certis autem criminibus accuſatum, atque eò à mari ductum longo ſpatio in vinculis fuiſſe; modò Serapim aſtitiſſe ſibi, vinculis exemptum eò deduxiſſe, atque imperaviſſe, ut veſte regia ſumpta, & diademate, ſilentio conſideret. His Alexander auditis, illum ex vatum conſilio ſuſtulit de medio, ut ſi quid adverſi eo oſten-
D to denunciatum eſſet, in illius caput effunderetur: veſtemque recipiens, diis depulſoribus ſacrum fecit, non ſine magna animi triſtitia. Et Chaldæorum admonitionum identidem recordatus, philoſophos, qui ſibi adventum Babylonem in animum induxiſſent, deteſtatus artem rurſus, & ſapientiam magnam Chaldæorum (qui eum Babylone abſtinere juſſerant) admiratione, & cultu dignam judicabat, & omninò cuivis contra vim fati argumentis, & copioſis diſputationibus differenti, mirificè infenſus erat, & obloquebatur. *Diodor. lib.* 17.

Ablata fuerant Alexandro Magno poma quædam Græca ab ora maritima. Hæc oſtenſurus Clito accivit eum. Is fortè ſacrificabat: at relictis ſacris perrexit ad regem, eumque tres oves, in quas jam facta fuerat libatio, ſunt ſecutæ. Quo intellecto, Rex rem ad vates retulit. Denunciantibus illis, tetrum prodigium eſſe, præcepit; ut pro Clito litarent. Non multò pòſt ob decantata quædam ignominioſa in Macedones carmina, in contentionem venit Clitus cum rege inter cœnandum, & ab eo, haſta ſatelliti ablata, januæ affixus E
eſt. *Plut. in Alexandro.*

Olim ſcribunt Ptolemæo regi vocanti non audientem ſacrum crocodilum, neque obſecrantibus, & orantibus ſacerdotibus parentem portendere viſum, quòd non multò pòſt inſecutum eſt, ejus fatum. *Plut. in Anim. comp.*

Antigon. Macedoniæ rex, ante id prælium, in quo cæſus eſt, cùm acies jam inſtrueretur, progreſſus offendit pedem, ut totus in faciem caderet, atque affligeret corpus. Ut reſurrexit tenſis ad cœlum manibus victoriam ab diis, vel mortem popoſcit, antè quàm vinceretur, ſubitam. *Plut. in Demetrio.*

Erat Tib. Graccho, cùm tribunatum petens à Naſica cæſus eſt galea, qua in acie utebatur, exornata eximiè, & ſplendida. In eam irrepſerant angues, & clàm in ea poſuerant, excluſerantque ova. Cohorruit hoc auſpicio Tiberius. Scandit tamen in Capitolium, ut populi concilium ibi eſſe accepit. Antè quàm egreſſus domo eſt, in limen impegit ictu adeò duro, ut pollicis pedis unguis dilaceraretur, ſanguiſque ſubter per calceum prorumperet. *Plut. in Tiberio.*

In Africa cùm deduceretur Carthaginem colonia, quam Cajus Gracchus Tribunus plebis Junoniam appellavit: prodigia feruntur ei divinitùs obſcœna fuiſſe oblata. Siquidem F
primum ſignum vento rapiente, & ſignifero ſumma ope renitente defractum eſt. Item victimas aris impoſitas diſſipavit venti procella, & ſuper ductorum urbis lineamentorum terminos diſiecit. Ipſos terminos irruentes lupi longè abſtulere. Attamen omnibus digeſtis, & compoſitis, diebus non ampliùs ſeptuaginta, regreſſus Cajus eſt Romam, ubi à L. Opimio Conſule cæſus eſt. *Plut. in Cajo.* Eo ipſo die, quo eſt in Capitolio interfectus, offenſionem pedis, ut dirum & mali ominis, ita abhorruit, ut domum redire voluerit. Sed tamen amicorum hortatu confirmatus in fatum incidit. *Sab. lib.* 9. *cap.* 10.

Petilius Conſul in Liguria bellum gerens, cùm montem, cui Læto cognomen erat, oppugnaret: interque adhortationem militum dixiſſet: Hodie ego Lætum utique capiam: inconſideratius prœliando, fortuitum jactum vocis letho ſuo confirmavit. *Val. Max. l.* 1. *c.* 5.

Cæcilia Metelli uxor, dum ſororis filiæ, adultæ ætatis virginis, more priſco, nocte concubia, nuptialia petit, omen ipſa fecit. Nam cùm in ſacello quoddam ejus rei gratia ali- G
quandiù perſediſſet, nec aliqua vox propoſito congruens eſſet audita, feſſa longa ſtandi mora puella, rogavit materteram, ut ſibi pauliſper locum reſidendi accommodaret: cui illa. Ego verò (inquit) libenter tibi mea ſede cedo. Quod dictum ab indulgentia profectum, ad certi ominis proceſſit eventum: quoniam Metellus non multò pòſt, mortua Cæcilia, virginem, de qua loquor, in matrimonium duxit. *Cicero lib.* 1. *de Divin. & Valerius ibidem.*

C. Carbonii Imp. apud Cluſium mures faſciis, quibus in calceatu utebatur, arroſis exitium portendere. *Plin. lib.* 8. *cap.* 57.

Cùm ædis ex præda Sicilienſi locatæ, quam Honori, & Virtuti M. Marcellus V. Coſs. voverat, paulò antè cædem ſuam, impediretur à Pontificibus dedicatio: quòd negarent unam cellam duobus diis rectè dedicari: ita cœpit addere alteram, iniquo animo impeditam dedicationem ferens, eamque rem quodammodo in omen vertit. *Plut. in Marcello.*

Cn. Pompeii III. triumpho, quem de pyratis egit, die natalis ſui, in pompa triumphi tranſlata fuit ipſius Pompeii imago è margaritis: non tam luxuriæ argumento, quàm non obſcuro omine, jam tum caput illud orientis opibus ſine reli- H
quo corpore oſtentatum. *Plin. l.* 37. *c.* 2.

C. Caſſius, cùm à Rhodiis obſecraretur, ne eos omnibus deorum ſimulacris ſpoliaret, Solem à ſe relinqui, reſpondit: Coloſſum intelligens, quem Cares Lydius ſeptuaginta cubitorum altitudinis feciſſe dicitur. Sed quod ille per ludibrium dixit, ſuo eventu verum fecit, cùm vitam amittens, Solis coloſſum & ſplendorem relinqueret, Plutonem ſalutaturus. *Valer. Max. lib.* 1. *c.* 5.

Eidem in campis Philippicis in luſtratione coronam lictor inverſam obtulit. Ferunt etiam antè in ſpectaculo quopiam, & celebritate auream Caſſii victoriam circumlatam, lapſo eo, qui ferebat, procidiſſe. *Plut. in Bruto.*

M. Brutus ob cædem Cæſaris in Græcia exul, Caryſti ſplendidum epulum paravit. Erat enim Bruti natalis. Poſtquàm ad compotationes ventum eſt, & libamina cœperunt pro Bruti victoria, & populi Romani libertate facere: quò magis eos

eos corroboraret, grandius popoſcit poculum. Eo accepto,
A hunc verſum Patrocli ex Iliad. π. temerè alta voce pronunciavit:

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ καὶ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.
Perdidit at fatum me, necnon Phœbus Apollo.

Ad hæc ſcribunt, cùm ad noviſſimam in Philippis committendam pugnam procederet, ſignum militibus eum dediſſe Apollinem. Inde exclamationem illam pro cladis omine habent. *Plut. in Bruto, & Val. l.* 1. *c.* 5.

C. Jul. Cæs. pridie ante cædem cùm apud M. Lepidum cœnaret, ſubſcribebat fortè epiſtolis, ut ſolebat, recumbens. Ibi ſermone moto, quænam mors optima foret? omnes antevertens exclamavit, Inopinata. *Plut. in Cæſare.*

Cn. Pompeii in arce Pharſalica victus à Cæſare fuga quærens ſalutem, curſu in inſulam Cyprum, ut aliquid in ea virium contraheret, claſſem direxit: appellenſque ad oppidum Paphum, conſpexit in littore ſpecioſum ædificium: gubernatoremque interrogavit, quod ei nomen eſſet? qui reſpondit, κακοβασιλεία vocari. Quæ vox ſpem ejus, quantulacumque reſtabat, comminuit. Neque idque diſſimulanter tulit, avertit enim oculos ab illis tectis: ac dolorem, quem ex omi-
B ne conceperat, gemitu patefecit. *Val. Max. l.* 1. *c.* 5.

Tiberium in Illyricum dimiſſurus, & Beneventum uſque proſecuturus Auguſtinus cùm interpellatores aliis, atque aliis cauſis in jure dicendo detinerent, exclamavit, quod & ipſum mox inter omina relatum eſt: Non, ſi omnia morarentur, ampliùs ſe poſthac Romæ futurum. Atque itinere inchoato, Aſturam perrexit: & inde, præter conſuetudinem, de nocte ad occaſionem auræ evectus eſt. *Suet.* Ludis Circenſibus natali Auguſti Cæſaris homo quidam inſanus ſellam Jul. Cæſari dedicatam occupavit, illiuſque coronam ſuo capiti impoſuit. Id turbavit omnes, Auguſto ſiniſtri aliquid portendi exiſtimantes. *Zonaras.* Ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ prima nominis litera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum C. litera notaret: futurumque ut inter deos referretur, quòd Æſar, id eſt, reliqua pars è Cæſaris nomine, Hetruſca lingua Deus vocaretur. *Suet.*

Germanicus cùm oraculum Apis conſuluiſſet, & Deus oblatum pabulum renuiſſet, funeſtum omen, & indubiam necem, quæ paulò poſt ſecuta eſt, prænunciavit. *Alex. l.* 6. *c.* 2.

Eo die, quo Cajus Imp. à conjuratis fuit occiſus, cùm ſa-
C cra fierent, cadente victima, Aſprenatis unius è Senatorum numero toga cruore reſperſa fuit. Eodemque die Aſprenas à Germanis militibus, cæde promiſcua Caii interitum vindicare cupientibus, occiſus eſt. *Joſeph. l.* 19. *c.* 1.

Remora piſciculus navem tenuit Caii Principis ab Aſtura Antium remigantis, non obſcuro omine. Siquidem noviſſimè tum in urbem reverſus ille Imp. ſuis telis confoſſus eſt. Nec longa fuit illius moræ admiratio, ſtatim cauſa intellecta, cùm è tota claſſe quinqueremis ſola non proficeret, exilientibus protinùs, qui id quærerent circa navim, invenere adhærentem gubernaculo, oſtenderuntque Cajo, indignanti hoc fuiſſe, quod ſe revocaret, quadringentorumque remigum obſequio contra ſe intercederet. Conſtabat peculiariter miratum, quomodo adhærens tenuiſſet, nec idem polleret in navigium receptus. Qui tunc, poſteàque videre, eum limaci magnæ ſimilem eſſe dicunt. *Plin. l.* 32. *c.* 1. Quo die occiſus eſt à Chærea, præter naturam ſuam affabilis fuit ita ut inſueta comitate omnibus fuerit miraculo. Tertiò Circenſium die ſedens in circo, ſparſis in ſpectatores miſſilibus, quæ pomis conſtabant, & avibus, propter raritatem gratis, delectaba-
D tur, diripiente hæc certatim populo, moxque duo quædam ominoſa ſecuta ſunt. Nam mimus inductus eſt, in quo judex deprehenſus, in crucem ſuffigitur: & fabula acta eſt Cinyra, in qua, & ipſe, & ejus filia Myrha occiditur: multùmque fictitii cruoris fuſum eſt, tam circa crucifixum quàm circa Cynyram. Quin & eundem diem fuiſſe ajunt, quo olim Philippus Amyntæ filius rex Macedonum ab amico Pauſania cæſus eſt, dum theatrum introgreditur. *Joſephus Antiq. lib.* 19. *cap.* 1. Obſervatum eſt etiam illud, quòd ſacrificans reſperſus eſt phœnicopteri ſanguine. Et Pantomimus Neſtor tragœdiam ſaltavit, quam olim Neoptolemus tragœdus ludis, quibus rex Macedonum Philippus occiſus eſt, egerat. Parabatur, & in noctem ſpectaculum, quo argumenta inferorum per Ægyptios, & Æthiopes explicarentur. *Suetonius.*

Claudius princeps poſtremis vitæ ſuæ temporibus pro tribunali poſcente ita ſermonis materia, cùm dixiſſet. Ad vitæ finem ſe perveniſſe (dictum qui aſtabant abominantibus) caſus tulit, ut ſæpiùs idem repeteret, brevique eventus rem comprobaret. *Fulg. l.* 1. *c.* 3. *ex Suet.* E

Neroni auſpicanti Sporus annulum muneri obtulit: cujus gemmæ ſculptura erat, Proſerpinæ raptus. Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia vix repertæ Capitolii claves. Cùm ex oratione ejus, qua in Vindicem perorabat, recitaretur in Senatu, daturos pœnas ſceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum eſt ab univerſis: Tu is eris, Auguſte. Quod verbum & Nero, & Senatus in eam partem accipiebant, ut ipſe puniendorum ejuſmodi hominum auctor eſſet. Sed exitus contrarium oſtendit, futurum Neronem illum, in quem Senatus animadverteret. In ultima fabula, quam Græcè de Oedipo exule in ſcena cantavit, in hoc verſu cecinit:

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μητήρ, πατήρ
Morti me conjux, pater, & mater damnarunt.

Quaſi ipſe ſibimet prædiceret, matris, ac conjugis, quas necaverat, item Claudii, quem veneno imperii cauſa ſuſtulerat, umbras juſtè eum ad mortem citare. Eidem Alexandriam profecturo lacinia adhæſit: idque inter dira relatum eſt. *Suet. Tacit.* ubi narrat de adulatione Senatus in Neronem, poſt detectam, & punitam quorundam in ipſum conjuratio- F
nem, *lib.* 15. ita claudit: Reperio in commentariis Senatus. Cerialem Anitinum conſulem deſignatum pro ſententia dixiſſe, ut templum D. Neroni, quàm maturrimè publica pecunia poneretur. Quod quidem ille decernebat, tanquam mortale faſtigium egreſſo, & venerationem item hominum merito: Quod omen tamen ſui exitus pertinuit. Nam deum honor principi non ante habetur, quàm agere inter homines deſierit.

Sergio Galbæ Imp. magna, & aſſidua monſtra jam inde à principio, exitum qualis evenit, portenderunt. Cùm per omne iter dextra ſiniſtraque oppidatim victimæ cæderentur, taurus ſecuris ictu conſternatus, rupto vinculo, eſſedum ejus invaſit, elatiſque pedibus totum cruore perfudit, ac deſcendentem ſpiculator impulſu turbæ lancea propè vulneravit. Urbem quoque, & deinde palatium ingreſſum, excepit terra tremore, & aſſimilis quidam mugitui ſonus. Obſervatum etiam eſt Kalend. Januariis, ſacrificanti coronam de capite excidiſſe: auſpicanti pullos evolaſſe: adoptionis die, neque milites allocuturo caſtrenſem ſellam de more poſitam pro tribunali oblitis miniſtris, & in Senatu curulem perverſè collocatam. *Sueton.* G

Domitianus Imp. pridiè quàm periret, cùm oblatos tuberes ſervari juſſiſſet in craſtinum: adjecit, Si modò uti licuerit. Et converſus ad proximos, affirmavit fore, ut ſequenti die, Luna in Aquario cruentaret, factumque aliquod exiſteret, de quo loquerentur homines per terrarum orbem. At circa mediam noctem ita eſt exterritus, ut ex ſtrato proſiliret. Dehinc manè aruſpicem ex germania miſſum, qui conſultus de fulgure, mutationem rerum prædixerat, audiit, condemnavitque. Ac dum exulceratam in fronte verrucam vehementiùs ſcalpit, profluente ſanguine: Utinam, inquit hactenùs. Tunc horas requirenti, pro quinta, quam metuebat, ſexta ex induſtria nunciata eſt. His velut tranſacto jam periculo lætum, feſtinantemque ad corporis curam, Parthenius cubiculo præpoſitus convertit: nuncians eſſe, qui magnum neſcio quid afferret, nec differendum. Itaque ſummotis omnibus, in cubiculum ſe recepit, atque ibi occiſus eſt. *Suetonius.*

Poſtrema die, quæ ultimum natalem diem Hadriani Imperatoris anteceſſit, cùm is eſſet in Senatu, ad eum venit quidam ululans, gemenſque obſcura voce, parumque intelle- H
ctis verbis. Qua re (tanquam, quæ mortis eſſet prænuncia) turbatus Hadrianus cùm Senatum alloqueretur, & Poſt mortem filii mei, dicere vellet, poſt mortem meam, dixit. *Suetonius.*

Liberata à Barbaris Britannia à Severo Imperatore, Æthiops morio obviàm progreſſus eſt, ſerto ex cupreſſo facto coronatus. Triſti ejus aſpectu turbatus Severus, pelli hominem confeſtim à comitatu juſſerat. Hic cùm miles triſtem funeſti ſerti emendare aſpectum vellet, magis rem aggravavit, dicens: Omnia habuiſti, omnia viciſti, tandem deus efficiare. Nec multò poſt in Britannia mortuus Severus, Romam perlato corpore, in deorum numerum relatus eſt. *Fulg.* 1. *c.* 3.

Cùm ſimul ſermones ſererent Anton. Baſſianus Caracalla, & Geta ipſius frater, detectis conjurationibus adversùs Severum patrem, dicente Baſſiano, debere conjuratos omnes occidi: reſpondit Geta mortem ſuam ominatus: Tu, qui nemini

nemini parcis: poſſeſne etiam fratrem interimere? Nec multò poſt mortuo Severo patre, Baſſiani manu Geta fuit interemptus. *Spartianus*.

Imperante Antonino Caracalla, inſedit obeliſco vociferabundus graculus. Succlamatum ab omnibus ceu ex compoſito: Martialis, ſalve, Martialis, ab tempore multo te videmus. Neque verò hæc graculi appellatio erat, ſed ejus nomen, à quo interemptus eſt mox Antoninus. *Cælius A.L. lib.24.c.4.*

Canes circum tentorium Maximini ſenioris in ſecunda manſione ultra duodecim ulularunt, & animam quaſi flendo poſuerunt, ac prima luce mortui ſunt deprehenſi. Lupi urbem (Hemonam ſine Archimeam) quæ deſerta à civibus venienti Maximino patuit, quingenti ſimul ingreſſi ſunt. *Capitolin. in Maximino Juniore.*

Alexander Severus Imp. paulò ante mortem tribunal aſcendens, ut concionaretur, & fauſtum aliquid diceret, ita cœpit: Occiſo Imperatore Heliogabalo: hocque ipſum omini fuit, quòd iturus ad bellum, milites alloqui minus fauſta oratione captaverat. Non multò poſt, cùm natalem diem commendaret, hoſtia cruenta effugit: & ut ſe civiliter gerebat, ac permixtus populo erat, albam ejus veſtem, cum conſtiterat, cruentavit. *Lampridius.*

Erat Conſtantino Auguſto, Conſtantini Magni filio, tribunus Amphilochius, conſpirationis nomine ſuſpectus: Cùmque ſæpè ad ipſum Amphilochii nomen de hac cauſa repeteretur: Deſinite, inquit, hoc apud me inculcare: brevi futurum ſpero, ut præſentibus vobis omnibus meritas luat criminis pœnas. Non multò poſt, cùm in theatro Amphilochius è Conſtantii regione ludos ſpectaret, ſubſelliis ruentibus, reliqui omnes ſalvi diſceſſere, ipſe unus acerbo functus eſt fato. *Egnat. l.1.c.6.*

Julianus Imp. cùm Antiochia diſcedens contra Perſas iturus eſſet, ubi vitam amiſit, (odio in Antiochenos propter motas ab eis ſeditiones accenſus) ad populum ſe convertit, malumque ſuum ominatus, dixit: Se in eam urbem nunquam rediturum. Marti quoque cùm juxta Cteſiphontem urbem ſacrificaret, neque in victima fauſtam rem ullam inſpiceret, ſe Marti ampliùs non ſacrificaturum affirmavit, opinione ſua in utroque falſus. Nam cum voluntate ſua ſe in poſterùm neque Antiochiam, neque Marti ſacrificaturum intelligeret, ſubſecuta brevi mors docuit, ipſum ſibi fatum, quod imminebat, prædixiſſe: quod rem utramque, quam ſe nunquam facturum dixerat, facere prohibitus fuit. Leo item telis confoſſus à militibus obviàm illi prolatus fuit. *Fulg. l.1.c.3.*

Jovian. Imp. à militibus electus, filium Varronianum ſecum conſulem, licèt infantem, creaverat: qui cùm admodùm parvulus in curuli ſella cum patre veheretur, jugi vagitu infelicem patris exitum portendit. *Cuſpin. A.D.*

Valentinianum I. eo die, quo apoplexia Sabariæ periit, equus præter morem in pedes ſeſe erigens, cum admittere noluit. *Marcellin. l.30.*

Paulò ante quàm Valens Imp. à Gothis occideretur, Antiochiæ per rixas, tumultuſque vulgares in conſuetudinem venerat, ut quicunque vim ſe pati exiſtimaret, Vivus ardeat Valens, licentiùs clamitaret: voceſque præconum audiebantur aſſiduè mandantium congeri ligna ad Valentini lavacri ſuccenſionem, ſtudio ipſius principis conditi. Quæ hunc illi impendere exitum vitæ modò non apertè loquendo monſtrabant. *Marcellin. l.30.*

Plurima mortem Attilæ prodigia præſignavere. Nuptiali ejus die equus, quo in prœliis, & optimo, & ſibi fidiſſimo utebatur, nullo ſigno præcedentis morbi apparente, ſubitò eſt mortuus. Micholtha etiam ſponſa Bactrianorum regis filia, ingreſſura cubiculum, tam fortiter pedem dextrum limini impegit, ut ex dolore nimio aliquandiù deſidere fuerit coacta. Cometes ante ejus mortem viginti circiter noctibus ad ornatum Solis vernum viſus. Ad hoc, traditur quædam mulier fanatica, equo invecta, Attilæ redeunti ex Italia in Pannoniam, ſub trajectum Lyci amnis, inter Rhetos, & Vindelicos defluentis, ter frementi voce acclamaviſſe: Retrò Attila. *Nicolaus Olahus in Attilæ vita, capite 16.*

Gothorum regis Theoderici imago in foro Neapolitano erat collocata, lapillis ſectilibus, quadratiſque, varioque colore infectis compoſita. Hujus caput defluxit derepentè, & ſua ſponte lapillorum compages ſoluta eſt: nec multò poſt Theodericus vitam finiit. Poſt annos deinde octo, lapilli, qui ventrem effigiabant, cùm eundem in modum excidiſſent. Athalaricus Theoderici ex filia nepos, fato defungitur. Paulò poſt labentibus circa pudenda lapillis, Amalaſuntha, ſeu Himelſuita Theoderici filia ex humanis exceſſit. Gothis Romam obſidentibus, à femoribus ipſis ad imos pedes, lapillorum compages defluxit, & imago tota pariete abolita eſt. Nec multò poſt Gothorum regnum à Beliſario, & Narſete Juſtiniani ducibus everſum eſt. *Procopius libro 1. de bello Gothorum.*

Paulò ante cædem Mauricii Imperatoris Conſtantinopoli Populus Maurum quendam, hominem Mauricii ſimilem, ſago indutum, coronaque ex aliis conſerta redimitum, in aſinum impoſuit, ac per jocum, & laſciviam acclamavit. Invenit buculam teneram, & ſicut novus gallulus inſiliit in eam, ac procreavit liberos inſtar lignearum nolarum: ſancte mi, ſancte, feri ejus caput, ne ſuperbiùs efferatur: tum ego tibi voti reus bovem offeram. *Cedrenus, & Paulus Diaconus libro 17.*

Andronicus Senior Imp. pridie ejus diei, qua obiit, columnam ante ædem quadraginta Martyrum poſitam juxta baſim uſtulatam, & confractam præteriens, à proceribus monitus fuit, ne propiùs accederet. His ille deriſa eorum timiditate fortuitò reſpondit: Utinam tam diù ego viverem, quandiù hæc columna ſtabit. Quæ cùm eadem die corruiſſet, & ipſius mors ſubſecuta eſſet, admirationi eis erat, qui dicti illius recordabantur. *Gregoras lib.9.*

Joan. Comnenus Imp. Alexii filius, in Cilicum finibus venatum egreſſus, cùm apro ſolitario ferrum in pectus adegiſſet, & is ictum urgens ferrum in viſcera recepiſſet, manus Imperatoris debilitata, atque impetu feræ reflexa, pharetram de latere obliquè ſuſpenſam evertit, perſtrictaque una ſagitta venenata, cute extremos digitos læſit, ex quo vulnere, ſerpente vi veneni paulò poſt mortuus eſt. Hujus caſus omen fuit, quod valle, in qua caſtra habebat, ingenti pluvia inundata, etiam lectulus ejus impetu decurrentis aquæ eſt avectus, cùm illud oraculum. Cades aquoſis, improviſus in locis, ſubinde in ore haberet. *Nicetas Choniates.*

Moliebatur Bardas Sclerus unà cum Michaele Imper. expeditionem cum omnibus copiis in Cretenſes. Itaque ad Deiparæ fanum Imper. Theophili filius acceſſit, & facibus prælucentibus intravit, ut ſe, ſuaque Deiparæ commendaret. Cùm jam ad penetralia templi perrexiſſet, ſubitò chlamys de humeris ipſius prolapſa, malorum ei maximorum præſagium dedit. Idem pridiè, quàm urbe erat diſceſſurus, ſive ultrò, ſive futuræ rei urgente fato, amicis in unum conductis legata diſtribuit, veluti, qui jam vita excederet. *Cedrenus.*

D. Venceslaus, Boemorum rex, à Boleslao fratre ad filii natalitia ſubdolè invitatus, fruſtrà licèt diſſuadentibus comitibus, ire tamen voluit, ne fraterno officio deeſſe videretur. Cæterùm ex arce proſpectans Pauli presbyteri atrium: Utinam ne, inquit, paulò poſt locus hic ſacer multo ſacerdotum ſanguine inundet. Nec vana fuit ſuſpicio. Nam cæſo per inſidias Venceslao. Drahomira Boleslai uxor, ſacerdotes omnes eo loci trucidari, & inſepultos abiici fecit. *Polydorus libro 8.*

Edovardus III. Anglorum rex, jam vigeſimumquartum propè annum regnarat, cùm ei allatus fuit à quibuſdam Hieroſolmis venientibus annulus, quem ipſe diù anteà pauperi clàm dederat, qui pro amore, quem erga D. Joannem Evangeliſtam habebat, eleemoſynam petierat: nec multò poſt morbo affectus, per quietem à Deo optimo maximo illud ipſum edoctus, animam cælo reddidit. Sepultus eſt in templo Veſtmonaſterii, ac brevi poſt tempore inter divos relatus. Ille annulus in eodem templo multa veneratione perdiù eſt ſervatus, quod ſaluteris eſſet membris ſtupentibus, valereque adverſus comitialem morbum, cùm tangeretur ab illis, qui ejuſmodi tentarentur morbi. Hinc natum, ut reges poſteà Angliæ conſueverint in die Paraſceves, multa cæremonia ſacrare annulos, quos qui induunt, hiſce in morbis omninò nunquam ſunt. *Polyd. l.8.*

Ludov. II. Hungariæ, & Boemiæ rex, Buda contra Turcas egreſſus, in ſuburbano, duobus ab urbe milliaribus, cui Ero nomen erat, equum præſtantiſſimum, & cariſſimum, repentino morbo abſumptum amiſit. *Dubrav. l.33.* tradit, ante portam ſtatim, equo Friſio in genua procumbente penè excuſſum fuiſſe, niſi ſatellites ſtatim accurriſſent. Deinde ante pugnam in campo Mohacz commiſſam, in qua Ludovicus occidit, cùm inſtructa jam acie ejus capiti galea imponeretur, magnus in ore regis pallor, quaſi futuri mali præſcius, apparuit. *Joan. Sambucus in appendice Bonfin.*

Carolo Parvo, Neapolitano rege, ab Hungaris Albæ inaugurato, præferebatur ex more divi Stephani vexillum, cum aſſumptis regiis inſignibus. Procedente procerum, antiſtitumque multitudine, ad poſtes templi ſenſim illiſum, in varias partes laceratum concidit. Ipſe non multò poſt à conjuratis interfectus eſt. *Bonfinius l.1. Dec.3.*

Pridie quàm Ladislaus Hungariæ, & Boemiæ rex in morbum incideret, præter morem, & inſtitutum ſuum, ad dicendum jus prodiens, triſtis, & cogitabundus inceſſit, rogatus ab amicis, Cur à ſolita hilaritate deficeret, reſpondit: Se nullam triſtitiæ cauſam habere, ea tamen etiam reluctantem carere non poſſe: ſe tamen ultro divinæ voluntati pariturum. *Bonfin. l.8. Dec.3.*

Robertus Normannorum dux, Conſtantinopoli Hieroſolymam petens, cùm æger equitare non poſſet, neceſſe habuit, locorum agreſtes conducere, qui eum humeris ferrent. Intereà cùm unus ex comitibus in Normanniam rediturus, peteret. Ecquid de ipſo narraret ſuis Normannis? facetiſſimè reſpondit: Dicas te vidiſſe dæmones ferentes Robertum ducem in cœlum, impios barbaros dæmonibus, Hieroſolymam cœlo comparans, quod inde noſtra profecta ſit ſalus. Revera autem ominoſa illi fuit hæc vox. Nam perſoluto jam voto, in Bithynia morbo abſumptus deceſſit, anno à natali Chriſti circiter MXL. *Polyd. l.8.*

Marinus Falerius, Venetorum dux, in locum Andreæ Danduli electus, cùm Romæ legatum venetum apud Pontificem egiſſet, domum revertens, magno cum totius urbis gaudio exceptus, Bucentauroque (ſic enim appellant navim, qua dux, Patreſque cum pompa vehuntur) ad divi Marci aream ſubvectus: non ſolito reliquorum more deſcendens, medius inter columnas duas, ubi ſontes homines ſupremo afficiuntur ſupplicio, in aream Marcianæ ædis pervenit: moxque in ducarium profectus, conjurationem de patriæ libertate opprimenda iniit. Quare meritò illi cervices abſciſſæ ſunt, Joanneſque Grandonicus illi ſuffectus eſt. *Egen. libro 1. capite 4.*

Sforcia Magnus in trajectu Aterni amnis, contra Braccium, qui Aquilam urbem obſidebat, properans periit. Pridie ejus diei Signiferorum princeps, qui quadratum vexillum ſupremi militaris imperii deferebat, egreſſus Othone porta, concidente equo adeò vehementer vexillum ſolo affixit, ut fœdatis cœno inſignibus haſta frangeretur. *Jovius in ejus vita.*

Galeacii Mariæ Sforciæ interitum, qui natali die Chriſti à tribus nobiliſſimis adoleſcentibus in templo D. Stephani Mediolani confoſſus eſt, varia prodigia denunciavere. Suſceperat bellum contra Subalpinas gentes. Cùm ab exercitu rediens Abiate conſtitiſſet: audivit majorem ejus cubiculi partem, quoad interiora corporis miniſteria utebatur, igni ſubitò corruptam conflagraſſe. Eodem tempore viſa crinita ſtella. Et ut erat ſemel captus ſuperſtitione animus, nihil propius dicitur feciſſe, quàm ut ſuſceptum conſilium redeundi Mediolanum abiiceret. Quo tamen cùm occulta vi, nondum planè ſolicitudine animi decuſſa duceretur: ferunt ſuper equitantis caput ternos corvos extitiſſe, qui tanquam ferale carmen canentes, leni quidem, ac placido volatu eum comitari, atque iter eodem intendere viderentur. Cùm juſſiſſet eos clamore ſublato, ac crebris lapidum ictibus pelli, priore ictu nequicquam petiti, vix altero abigi, iterùm repetito clamore, potuere. Jam cum præclaros cantus artifices, conductos è Gallia uberrimis ſtipendiis haberet, novo more, atque inſtituto juſſit illos indui atro veſtitu, cum adjeciſſet in mandatis, ut ubicunque ſacra fierent, carmen perpetuò canerent, quod expiandorum manium cauſa faciendis ſacris uſurpatur. Cùm prima luce experrectus è lecto ſurrexiſſet, indutus thoracem quo uti eo die conſtituerat, utrum offenſus, quod minus aptè caderet, an (id quod alii tradunt) quod elegantiæ, & mollitiæ ſtudioſus nollet pinguior videri, eundem ſubitò exuit: tanquam hoc illi eſſe curæ videretur, ut ſe inermem traderet armatis. Cùm eo die exire gravaretur, ac juſſiſſet ſacerdotem acciri, qui illi erat à ſacris; is verò arbitratus Principem, ſecutum veterum morem, ad B. Stephanus iturum: eò cum omni rei divinæ apparatu erat profectus. Hinc accitus Novocomenſium Pontifex, ac ſacra facere juſſus, neceſſitatis excuſatione uſus, minus ſibi licere reſpondit, cum parvos liberos complexus ſæpè, & deoſculatus eſſet, medius inter duos legatos, Ferrarienſis, & Mantuani Principis, ad B. Stephani ædem venit, in cujus foribus interfectus eſt. *Brutus libro 6. hiſt. Florent.*

Martino, Aragonum regi, omen mortis fuit eclipſis Lunæ, & terræ motus, ſemel cùm manè ſurgeret, iterùm cùm poculum à pincernæ manu accepturus eſſet, anno 1409. Nam cùm dixiſſet, Mors magni alicujus viri terræmotu ſignificatur: inquit, ex intimis quidam, Nunc noſtræ timeo parti. Ad eum rex, Ego non ſum magnus, ubi adeſt major: major me Papa eſt: de illo igitur terræmotus loquitur, non de me. Erat autem tunc Benedictus Papa Barcellonæ, ipſe verò in eodem prædio ſuburbano. At eventus docuit regi potiùs, quàm Pontifici mortem, terræmotum portendiſſe. *L. Valla Hiſt. lib. 5.*

Maximilianus primus Imperator, & Philippus filius, rex Hiſpaniæ, apud Bruxellas in palatii ſecretiori loco conſiſtebant, de re ardua quapiam deliberaturi. Mox ventus ingentem lapidem excuſſit ex pariete, qui inter duos reges cecidit. Philippus lapide ſublato, latius cum parente locutus eſt: & illicò ventus iterùm fragmentum lapidis, quod Philippus manibus continebat, concuſſit, & diffregit. Hoc omen, inquit Philippus patri, erit, te meorum liberorum parentem futurum. Et eventus poſteà docuit, Philippum verum habuiſſe omen. Brevi enim poſt obiit, ac reliquit pupillos parenti Maximiliano Imperatori.

Hadrianus ſextus Romam ad ineundum Pontificatum iter parans, cùm eſſet Cæſareæ Auguſtæ, libido ei inceſſit ab ſingulari pietate inſpiciendi divi Lamberti corpus, è quo paulò antè mandibulam dono miſsam tam læto animo ſuſcepiſset. Itaque loculum, & oſſa cupidiſſimè, & cum eximia quidem veneratione, contemplatus eſt. Quæ res in prodigium continuò verſa, quoniam primum ipſius operum extitiſſet, famam præbuit, eum citò inter mortales eſse deſiturum. Quàm etiam portenti ſuſpicionem auxiſse viſa eſt lampadis cryſtallus, in templi medio ante aram temerè effracta: ob cujus caſum & ipſum Pontificem, & qui circa erant ſolenni in veſte ſacerdotes, lucernali oleo fœdiſſimè conſperſos conſtat: ariolis id totum ad funeſti ominis interpretationem facilè trahentibus. Borgiæ turris tectum, plumbea faſtigii teſtudine inſigne, ſub qua ipſe habitabat, repentè conflagravit. Retulerat etiam inter divos Bennonem, virum ſanctiſſimum, & admirandis operibus apud Germanos inſignem, & Antoninum antiſtitem Florentinum, ſingulari pietate conſpicuum. *Jovius in ejus vita.*

Leo decimus Papa, nuntio recuperati Gallis ejectis Mediolanenſis imperii anno 1522. à Cæſarianis ſubacti, accepto, cùm in Manliana villa eſset, incredibili lætitia eſt affectus: nec multo poſt priuſquam cœnaret, obriguit, ſenſimque exorta eſt febris à quodam miti tempore longè leniſſima, ſed quæ ei ſuprema extitit. Ob id ſequente die in urbem eſt revectus, jam certius, ac plenius erumpente morbo, peſſimumque omen imminentis mortis in ipſo cubiculi limine accepit, in quo conſtiterat architectus ligneam offerens ſepulchri effigiem, quod tum inſigni marmoris cælatura Henrico octavo regi in Britannia parabatur. Sed ea febris, quod ex intervallis laceſſeret à Medicis adulantibus, aut judicio deceptis aliquandiù neglecta, adeò vehementer demum incubuit, ut penè priuſquam morbus dignoſci poſset, ſit ereptus. *Jovius in Leone 10. l.4.*

Philibertus Aurantius Florentiam obſidens, de hoſtium adventu factus certior, ad eos intercipiendos jamjam caſtris egreſsurus, cùm lagenas popoſciſset, & vina latis pateris funderentur, circumjectiſque in coronam ducibus, hilariter propinaret, denſiſſimus repentè cœlo dudum ſereno imber effuſus eſt, uſque adeò largus, ut cunctos ſub dio perpotantes latè perfunderet, & ad omen à quibuſdam verteretur. Arriſit ad id ſublato lætiore cachinno Aurantius: & commilitones, inquit (uti video) in hoſtes nequaquam temulento agmine provehemur, poſtquam nobis ſuperi vina coronantes pocula benignè, propitieque diluunt. Hæc fuere ſuprema ejus verba, continuò efferri ſigna jubentis. Nam mox ad Gabinianum oppidum conſerta cum hoſtibus manu, glande trajectus occubuit. *Sabellicus ſupplem. libro 13.*

Christophorus Longolius cum Reginaldo Polo Patavii habitans, animi cauſa in Forumjulium profecturus, paucos ante dies, quàm egredi ſtatuerat, vegeto adhuc corpore, multa cum Polo de vitæ humanæ fragilitate fertur diſputaſſe, & teſtamentum ſuum confeciſſe, non obſcuro omine inſtantis mortis. Ipſo enim profectionis die in febrem incidit, & poſt paucos dies obiit, anno ætatis trigeſimoquarto, Chriſti 1522. *Auctor vitæ.*

Henricus ſecundus Gallorum Rex, Lutetiæ in haſtiludio

conto vulneratus periit. Ipſummet omnibus diſſuadentibus A contum robuſtiſſimum elegiſſe ajunt, & equitem Scotum Mongomerium, cum quo congreſſurus erat, ad concurſum coegiſſe. Additur & illud puellum de feneſtra proſpicientem, cùm infeſtis haſtis concurrerent, exclamaſſe: Eheu regis percuſſor adeſt.

Stephanus Cardanus, vir octogenarius, ☞ *Vide infrà, Divinatio felium*.

In graviſſima illa lue, quæ anno Chriſti 1564. per totum Rheni tractum graſſata eſt, Baſileæ plurimorum extremæ voces præſagii loco fuerunt. Nam cùm quis morti proximus eſſet, quamvis delirans, aliquem vel fratrum, vel amicorum, vel notum vocabat: Ille non multo poſt decumbens, eodem modo tertium vocabat, tertius quartum. Conſtat certè plurimos eodem ordine mortuos, quo vocati fuerant.

Auſpicia, & Auguria.

Amphiarai vatis haſtam bello Thebano abreptam, aquila in altum ſuſtulit, moxque demiſit. Ea terræ impacta lauri ſpeciem præbuit veram. Inſequenti die hoſtibus ibidem acri B prælio congredientibus, terræ hiatu repentino hauſtus Amphiaraus, cum curru periit, ubi loci Harma urbs ædificata eſt, *Plut. ex Triſimacho l. tertio κτίσεων. Cœlius l. 13. c. 20. A. L.*

Aristotimus Elienſium tyrannus, paulò ante, quam à civibus interfectus eſt, cubabat cum uxore meridie. Dum paratur cœna, aquila in aere volitans circumagebat ſe ſupra ædes: mox velut de induſtria, & ad deſtinatum ingentem lapidem in illam partem tecti, ubi cubiculum erat, in quo quieſcebat Ariſtotymus, demiſit. Cùm magnus fragor ex alto, & foris fremitus alitem videntium editus eſſet, perculſus audito oſtento, vatem, quo ſemper in foro utebatur, accerſit: eum, quid portendat, attonitus conſulit. Vates hominem confirmat: Jovem demonſtrat eum excitare, & opem ferre. At cibus, quibus fidem habebat, vindictam denuntiat tantùm non ſupra caput ſuſpenſam imminere tyranno. *Plutarchus de Mulierum virtut.*

Alexander magnus ubi venit ad Babyloniæ muros, corvorum examen vidit certantium, & ſe mutuo cædentium, quorum aliquot juxta ipſum ſunt delapſi. *Idem in Alex.*

Pyrrhus, Epirotarum rex, cùm contra Argos magno C collecto exercitu proficiſceretur, noctuam in haſta ſua ſedentem vidit, quæ fatum illi, & diſcrimen extremum nunciaſſe fertur. *Alex. l. 5. c. 12.*

Tib. Gracchus, cùm tribunatum in proximum annum petens, populum novis legibus allicere vellet, eo die quo in Capitolium erat aſcenſurus, ubi tumultu orto à Pub. Naſica interemptus eſt, manè, adfuit cum avibus pullarius, & eſcam eis objecit. Illæ præter unam ſolam non prodiere, quamvis homo caveam ſedulò concuſſiſſet. Ac ne hæc quidem pavit, ſed ſublata ſiniſtra ala, protenſaque crure refugit rurſus in caveam. Ubi paululùm proceſſit, ſuper faſtigium domus ex ſiniſtra conſpecti ſunt corvi pugnantes, atque in frequentia mortalium, ut veriſimile eſt, Tiberium prætereuntium, propulſus ab altero corvo lapis juxta pedem ejus delapſus eſt: quod vel ferociſſimos eſt eorum, qui illum ſtipabant, remoratum. Cæterùm Bloſius Cumanus, qui aderat, perquam turpe jactavit eſſe, & fœdum, Tiberium Gracchi filium, Scipionis Africani nepotem, præſidem populi Romani, corvi metu accerſentibus civibus non parere. Atqui eam labem haud pro joco inimicos tranſmiſſuros, ſed ut tyrannidem D agentem, & ludibrio jam habentem ad populum eum proſciſſuros. Simul accurrerunt frequentes, qui Tiberium, ut maturaret, mandato amicorum, qui in Capitolio erant, adhortarentur: omnia illi ex voto eſſe. *Plut.*

Pridie Idus Martias avem regaliolum cum laureo ramulo Pompejanæ curiæ ſe inferentem, volucres varii generis ex proximo nemore perſecutæ, ibidem diſcerpſerunt. Sequenti die interfectus eſt C. Jul. Cæſar. *Suet.*

Cicero proſcriptus à Triumviris è Tuſculano fugiebat in prædia Campana, ubi villam habebat æſtivo tempore amœnam, cùm graviſſimè ſpirant Eteſiæ. Hinc ſublatum agmen corvorum magno crocitu ad Ciceronis navem, dum remis terræ appellitur, volavit: qui conſederunt utrinque in antennæ cornibus partim crocitantes, partim capita funium tundentes. Id omnibus dirum viſum oſtentum. Cicero ibi egreſſus de navi eſt, villamque ingreſſus ad quietem compoſuit ſe.

Hic corvi frequentes conſederunt in feneſtra, ac diros ediderunt ſtrepitus: unus in grabatum demiſit ſe, togamque, qua opertus erat Cicero, roſtro paulatim à facie detraxit. E Quod ſervi contemplantes, ac ſeipſi increpantes, ſi dominum paterentur in conſpectu ſuo trucidari, cùm opem ei beſtiæ ferrent, ejuſque curam agerent afflicti, ipſi autem non protegerent: hinc precibus, hinc vi ſublatum in lectica detulerunt ad mare. Intereà ſupervenerunt cum manu percuſſores. Herennius centurio, & Popilius tribunus, quem parricidii quondam reum defenderat Cicero. *Plut. in Cicerone. Valerius verò Max. l. 1. c. 4.* ſic ſcribit: Cùm in villa Cajetana eſſet, corvus in conſpectu ejus horologii ferrum loco motum excuſſit, & protinus ad ipſum tetendit, ac laciniam togæ eo uſque morſu tenuit, donec ſervus, ad occidendum eum milites veniſſe nunciaret.

Augustum Cæſarem, cùm luſtrum in campo Martio magna populi frequentia conderet, aquila ſæpiùs circumvolavit: tranſgreſſaque in vicinam ædem, ſuper nomen Agrippæ, ad primam literam ſedit. Quo animadverſo, vota, quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Nam ſe quanquam conſcriptis paratiſque jam tabulis, negavit ſuſcepturum, quæ non eſſet ſoluturus. *Suetonius.* F

Agrippa Magnus Judæorum rex, tertium Judææ totius regni annum exegerat, cùm pervenit in urbem Cæſaream, quæ priùs Stratonis turris dicta fuit, ubi ſolennes ludos celebravit pro ſalute Cæſaris: ad quam feſtivitatem nobilium, ac procerum magna multitudo convenerat ex tota provincia. Ejus celebritatis die ſecunda proceſſit manè in theatrum, amictus veſte tota, & argento mirabili opere contexta, quæ radiis exorientis ſolis perculſa, venerationem cum honore incutiebat ſpectantibus, ut ab adulatoribus Deus conſalutaretur. Quam impiam adulationem cùm ille nec caſtigaſſet, nec repuliſſet, paulò poſt ſuſpiciens, vidit ſuper caput ſuum bubonem funi extento inſidentem: moxque ut ſenſit ex præſagio Germani vatis hunc eſſe calamitatis, vitæque finis nuncium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. *Joſeph. l. 19 c. 7. A. Jud.*

Ut in Nerone finis fuit Cæſarum ſtirpis naturalis, adoptivæque, ita ejus etiam ingentia apparuerunt ſigna. Livia cùm recens Auguſto nupſiſſet, per Vejentanam villam ſuam eunti aquila in gremium ejus gallinam candidam, in ore lauri habentem ramum demiſit. In bonam partem augurio accepto, cùm curari diligenter gallinam juſſiſſet, magnus ex ea candi- G dorum pullorum numerus provenit. Plantatus quoque lauri ramuſculus, ingens lauretum protulit. Ex qua ſylva obſervatum poſteà fuit, ut triumphaturi laureum ramum ſumerent, quem manu in triumpho geſtabant: peractoque triumpho reſtitutus ramus plantaretur, radiceſque mitteret. Illud quoque notatum fuit deſiccatum ejuſmodi ramuſculum, præſagium fuiſſe mortis illius, qui eum in triumpho geſtaſſet. Cæterùm poſtremo Neronis anno, ut propinqua ejus morte Cæſarum quoque defectura ſoboles oſtenderetur, gallinarum candidarum ſtirps tota periit, lauretumque ex toto aruit, defecitque. Prætereà ſtatuis Cæſarum fulgure decuſſa fuerunt capita, ſceptrumque de manu Auguſti ereptum. *Fulg. l. 1. c. 4. ex Suet. & Plut. l. 15. cap. ult.*

Vitellius Imperator periit cum patre, & filio, anno vitæ ſeptimo, & quinquageſimo: nec fefellit conjecturam eorum, qui augurio, quod factum ei Viennæ eſt, ubi pro tribunali jura reddenti gallinaceus ſupra humerum, ac deinde in capite aſtitit, non aliud portendi prædixerant, quàm venturum in alicujus Gallicani hominis poteſtatem. Siquidem ab Antonio primo adverſarum partium duce oppreſſus eſt: cui H Toloſæ nato, cognomen in pueritia Beco fuerat: id valet, gallinacei roſtrum. *Suetonius.*

Ante paucos dies, quàm occideretur Domitianus Imperator, in Capitolio cornix locuta eſt, ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:

Nuper Tarpejo quæ ſedit culmine cornix.
Eſt bene, non potuit dicere: dixit, Erit. Suetonius.

Septimio Severo Imperatori & mors, & fortuna gentis ſuæ manifeſto prodigio oſtenſa fuit. Nam Circenſibus ludis, à ſuggeſtis, unde is ludos ſpectabat, ex tribus Victoriæ ſimulacris, quæ de more appendebantur, ea, quæ Severi nomine inſcripta erat, in terram concidit: altera, quem in Getæ honorem expreſſerant, cadens tota confracta eſt: tertiæ autem, cui Baſſiani erat inſcriptum nomen, è manu palma dilapſa eſt. Poſt hunc caſum haud diù Severus vixit: Getam Baſſianus occidit: Baſſiano autem ad imperium tranſlato, imperium breve, & inglorium. *Sab. l. 1. c. 4.*

Valentinianus I. paulo antè quàm apoplexia ſuffocare- A tur Sabariæ, bubo culminibus regii lavacri conſidens, funebriaque occinens, fruſtrà multorum ſagittis impetitus, loco depelli non potuit. *Marcellinus l. 30.*

Antequam Carolus Parvus Neapolitanorum, & Hungarorum rex ab Hungaris occideretur, innumera corvorum multitudo regia tecta circumvolans, turmatim feneſtras impetebat: congrediebantur inter ſe infeſti, & tanquam inſtructa acie, pugnam conſerebant. *Bonfin. l. 1. Dec. 3.*

Tres corvi ſuper equitantis caput volantes, & ferale carmen quaſi canentes, Galeacio Mariæ duci Mediolanenſi augurium mortis fecere. Siquidem paucis poſt diebus Mediolani in foribus templi ſancti Stephani interfectus fuit. *Brut. l. 6. Hiſt. Florent.*

Sub mortem Matthiæ, regis Hungariæ, nulli corvi, qui Corvinæ domus inſignia referunt, Budæ conſpecti ſunt: contrà Albæ, ubi Regum monumenta ſunt, tanta corvorum multitudo ſpectata, ut omnes hìc regis mortem facilè ariolarentur. Paulo antè, cùm Vienna Budam deſcenderet, in turris faſtigio ciconiæ nidum ſuſpexit, de quo, ejecta domina, quatuor in ſe ciconiæ acerrimè certabant, & veluti divi- B nitus afflatus, Pannonicam eo anno concordiam turbatum iri dixit. At mortem Principis imminere ſuſpicati ſunt prudentiores, & Reges quatuor de regno dimicaturos. *Bonfin. l. 8. Dec. 4.*

Joan. Antonius Campanus, Epiſcopus Aretinus, quo die vita exceſſit (Idibus videlicet Quintil. anno 1477. ferunt) magnum avium numerum. Terami feneſtras bibliothecæ irrupiſſe, alarumque ſtrepitu flebilibus vocibus mœrorem luctumque graviſſimum oſtendiſſe: libros, & ſcripturas roſtro, unguibus, & eluvie defœdaſſe. In agris quoque paternis, & conſito ad domeſticas delicias laureto, ſimilem calamitatem intuliſſe arboribus, cunctaque perinde, ac demiſſa grandine devaſtata poſtero anno exaruiſſe. Gemini canes venatici, juſſi pridem ad illum perduci, domo vi ulla, tanquam ad præmortuum herum fruſtrà ſe pertrahi intelligerent, educi nunquam potuerunt: iidemque in poſterum nec latrare, nec blandiri alicui viſi, inedia, & ſqualore defecti occubuere. *Michael Fernus in ejus vita.*

Leonius Tomæus, philoſophus inſignis, & Patavinus profeſſor, domi gruem per quadraginta annos aluerat, de manu ipſius ſenili oblectamento cibaria capientem. Is ſenio C tabefactus cùm periiſſet, ex ejus deſiderio triſte omen concepit: prædixitque nullo laceſſitus morbo, ſe non multo poſt adamati gruis fatum vitæ exitu ſecuturum. Eventus reſpondit. *Jovius in Elogiis.*

* Auguria Ab Aquilis.

In die natali Alexandri Macedonum Regis, aquilæ duæ præpetes ſupra culmen domus inſederunt, omen duplicis Imperii, Europæ, Aſiæque præ ſe ferentes.

Nato Maximo (qui turbulentiſſimis Reip. temporibus Imperator electus eſt à Senatu, ut Maximini obviàm iret crudelitati) quamvis ex humili, & obſcuro genere, patre ſcilicet arte ferrario, aut ut alii dicunt, carpentario, auſpicium dedit aquila, cum carnem bubulam, & quidem multam in patris cellam anguſto impluvio projeciſſet, eam denique cum jaceret, & nemo attingere auderet religionis metu, iterùm ſuſtulit, & in proximum Sacellum Jovis Præſtitis detulit.

Simili oſtento aquila infantem adhuc Aurelianum, vin- D ctum faſcia, ſine ulla noxa de cunis ſuſtulit, & in aram, quæ intra Sacellum fortè ſine ignibus erat, depoſuit, ut author eſt *Sabellicus*, & ante eum *Flau. Vopiſcus ex Callicrate Tyrio in Aureliano.*

Albino etiam ſeptima hora, poſtquam natus eſt, in convivio, quod natalitiis ſuis deputabatur, dum ſibi inderetur nomen, ſeptem aquilæ parvæ allatæ ſunt, & quaſi ad cunas pueri conſtituti. Omen pater ejus proclivius admiſit, eò quod rariſſimum eſſet in illis regionibus, ubi Hadrumentum eſt.

Octavio Augusto cùm puer adhuc ruri, quarto ab urbe lapide via Campana educaretur, in nemore prandenti, ex improviſo Aquila de manibus panem rapuit, moxque altiſſimè evolavit, quæ paulò poſt leniter delapſa, ex improviſo eundem ei reſtituit, *Xiphilino, Suetonio, & Dione* teſtibus.

C. Marius cùm nidum aquilæ cum ſeptem pullis puer adhuc in agro reperiſſet, eumque gremio ſuſceptum ad patrem detuliſſet, is admiratione motus, conſultis auſpicibus, ſepties penes filium rei ſummam futuram accepit. Id in tot quot E geſſit conſulatibus apparuit, quo eo numero primus omnium aſſecutus eſt. Hoc tamen *Plut.* Romanæ cenſor hiſtoriæ fabuloſum exiſtimat, quod aquilam dicant non ultra duos pullos parere, ſcilicet naturaliter, & ordinariè.

Regni auſpicium Romulo allatum ab aquilis ex Ennio docet *Cic. l. 1. de Divinat.* Dum enim fratres de imperio certarent, ac ut ereorum mœnia conditurus eſſet, contenderent, ſe auſpicio ſtaturos, pactum injerunt: itaque aquilæ binæ præpetes Romulo primas detulerunt.

Aquilam Tarquinio priſco regnum portendiſſe, vulgatiſſimum eſt, quippe quæ pileum ſedenti abſtulit, mox remiſit: futurum inde Tanaquil ejus uxore, Hetruſcorum diſciplina inſtructa, interpretante, ut principatum caperet. Rem geſtam narrat *Dion. Halicarnaſſeus l. 3. A. Rom.*

Plutarchus de Agone ſcribit: apud Argivos aliquando defecit Heraclidarum genus, è quo Regem eos deligere patris conſuetudo jubebat. Quærentibus, & ſciſcitantibus, oraculum datum eſt, regem ab aquila demonſtratum iri, ac poſt paucos dies aquila in domum Agonis devolare conſpecta fuit, itaque Agon rex deſignatus eſt. F

Marcianus Imperator, egregia præditus indole, cùm miles eſſet, fortè ad expeditionem ſe conferebat; in itinere cum dormiret aliquando, ii, qui cum eo cubabant, citiùs experrecti, aquilam homini expanſis alis umbram præbere vident. Itidem in expeditione adversùs Geiſericum Lybiæ principem accidit, ut Marcianus inter alios in hoſtium poteſtatem veniret. Itaque Geiſericus captivos inſpicere volens, ex ſublimi quodam loco eos intuebatur. Hic Marciano conſopito cernens umbram fieri ab aquila expanſis alis, rem pro miraculo habuit, & virum divinum, & Imperio Romano dignum cenſuit.

Idem accidit Baſilio Macedoni, Imperatori, qui annis viginti regnum obtinuit. Is cùm adhuc infans admodùm eſſet, ut Zonaras commemorat, fortè ſoli expoſitus in æſtu jacebat, meſſe occupatis parentibus, egenis admodùm. Tum verò aquila de ſublimi advolans, expanſis alis ei umbram præbebat. Cùm autem aliquoties mater eam abigere conata, nihil efficeret, tandem hanc rem boni augurii loco duxit.

Lechus primus Polonorum dux, nidum aquilarum invenit, ibique ducatus, & gentis ſuæ præſidium, ac quaſi arcem conſtruxit, vocavitque Gneſnam à nido, quem Boemi G Gniſdo vocant. Inde inſigne boni auſpicii, & ſtemma ſucceſſoribus ejus manſit, ut uſque in hunc diem Regis, & Regni Poloniæ ſtemma ſit alba aquila coronata, erecta expanſis alis, hiante roſtro, merito Turcis formidabilis, minanſque exitium. Ita *Martinus Cromerus l. 2. de rebus Polonicis, & l. 16.*

Suetonius quoque inter alia prodigia, quæ Galbæ Imp. regnum portendebant, de aquila ita ſcribit: Galbæ Imperatoris avus dum ſacra perageret, fulgur procurans, cùm aquila ex ejus manibus exta rapuiſſet, ſublimiuſque elata in frugiferam extuliſſet quercum, augurque ſummum, ſed ſerum imperium portendi dixiſſet, ſanè, inquit, ille irridens, cum pariet mula, quo prodigio imprimis Galba confirmatus dicitur. Nam cùm in Hiſpania res novas moliri eſt adortus, in ea terra mula enixa eſt.

Felix inſuper illud fuit, quod idem *Suetonius* recenſet de Claudio, qui cùm diù inter ludibria aulæ fuiſſet, ſub Cajo demum fratris filio conſulatum adeptus eſt; quamprimùm autem, inquit author, cum faſcibus ingreſſus eſt forum, prætervolans aquila dexteriore conſedit humero, indicio fu- H turi apud eum imperii manifeſto.

Et rurſus de Vitellio copias ſuas dividente, quas adversùs Othonem præmitteret, quaſque ipſe perduceret, fauſtum hoc narrat augurium. Siquidem à parte dextra repentè aquila advolavit: luſtratiſque ſignis ingreſſos viam ſenſim anteceſſit.

Hieronem quoque Siculum admodùm adoleſcentem privatæ fortunæ hominem aquila, quæ primo bello, quod iniit, in ejus clypeo reſedit, regem aliquando futurum indicavit. ita *Aldrovandus Ornithol. c. 1. in aquila.*

☞ *Vide ſupra* AVIUM DIVINATIO.

Et infrà. Victoriæ *Auguria.*

Prodigia, Portenta, Oſtenta.

Nullum majus unquam in cœlo apparuit oſtentum, quàm quod citra naturæ legem, die, quo Chriſtus Theanthropos in Judæa cruci eſt affixus, Sol à ſexta diei hora ad nonam obtenebratus eſt. Stupuerunt miraculum ſapientes, naturalium rerum gnari: & in his Dionyſius Areopagita, qui ad tale oſtentum exiliiſſe dicitur, atque exterritus exclamaſſe: Aut mundus ſolvitur, aut Deus naturæ patitur. *Sabellicus lib. 9. capite* 8.

CALLICRATI duci Lacedæmoniorum caput victimæ præciſum, & fluctu maris abſorptum, interitum vitæ indicavit. *Alexander l. 5. c. 25.*

CIMON Athenienſis contra Perſas ſuſcepta expeditione, in qua etiam periit, cùm Libero patri ſacrificaret, & victimam aruſpex proſecuiſſet, quod ſanguinis jam concreverat, id examen formicarum rapuit, paulatimque ad Cimonem detulit, atque ejus pollici pedis circumjecit. Dein hoc non eſt animadverſum. Inde ut animadvertit Cimon, adiit aruſpex eum, & jecur ſine capite oſtendit. Attamen, quia expedire ſe nequit provincia, claſſem ſolvit. *Plut. in Cimone.*

DION Syracuſanus, liberatis Syracuſis, paulò poſt ante, quam à Calippo interficeretur, ſedebat fortè diei ſerò domi in porticu cogitabundus. Ibi ſtrepitu repentè facto, reſpiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem, conſpexit grandem mulierem cultu, & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ verrebat ſcopis domum. Ille vehementer perculſus, & trepidans accivit amicos, viſumque iis narravit, atque oravit, apud ſe ut permanerent, & pernoctarent: quod planè extorpeſceret, timens ne ſi ſolùm reliquiſſent, iterùm ſibi obverſaretur monſtrum. Cæterùm id non eſt reverſum: ſed filius ejus ferè adultus per dolorem aliquem animi, & iram ex parva, & puerili ortam occaſione de faſtigio domus præcipitavit ſe in caput, & interiit. *Plut. in Dione.*

PELOPIDA cum ſeptem millibus Thebanorum, ſuppetias Theſſalis contra Alexandrum Phereum tyrannum ferente, Solis defectus contigit. Cùmque multi de portento ſolliciti eſſent, vateſque affirmarent portendi interitum Pelopidæ: nihilominus Pelopidas inſtruxit ſe ad militiam. Cùm autem veniſſet in Theſſaliam, & occupata reperiret ab Alexandro eminentiora loca, eſſentque in adverſariorum exercitu plures viginti millibus, prælium cum adverſariis conſeruit, & in ipſum Alexandrum impetum fecit, univerſum circum ſe locum cadaveribus occiſorum implevit, hoſtes in fugam vertit, & victoriam obtinuit, ſuam tamen ipſius animam multis vulneribus confectus reliquit. Alexander hocce conflictu planè contritus Theſſalis civitates bello ſubactas reſtituere, Magneſios, Phthiotaſque Achivos Bœotiis tradere, & in poſterum ſolùm Phereorum imperium tenere, atque cum Bœotiis ſocietatem belli facere, per conventa coactus eſt. *Diodorus libro* 15.

ALEXANDRO magno Babylone moranti, ubi & periit, leonem grandiſſimum, & ſpecioſiſſimum eorum, qui ibi alebantur, domeſticus aſinus adortus calce interfecit. *Plutarchus in Alexandro.*

PYRRHUS Epirotarum rex, Antipater Macedonum, & Lyſimachus fœderis cauſa convenerant. Poſtquam apro, tauro, & ariete ad ſacrificium adductis, mortuus aries nulla vi, ſed caſu eſt, aliis riſu oborto, Pyrrhum vetuit aruſpex Theodorus jurare, dicens, uni ex tribus regibus mortem denuntiari. Ita pacem diremit. Contra datam fidem Argos oppugnaturo, ubi & periit, magnum prodigium factum eſt. Namque boum, qui immolati erant, ſejuncta jam à corpore capita, linguas viderunt exerentia, & circumlambentia ſuum proprium ſanguinem. In urbe Argis Lycii ſacerdos Apollinis procurrit in publicum, clamitans cadaveribus, & cruore conſpicere ſe urbem manantem: procedere ad certamen aquilam, mox evaneſcere. *Plut. in Pyrrho, & Plin. l. 11. c. 37.*

TIB. GRACCHUS conſul, cùm in Lucanis ſacrificaſſet, angues duo ex occulto prolapſi repentè hoſtiæ, quam immolaverat, adeſo jecinore, in eaſdem latebras ſe retulerunt. Ob id deinde factum inſtaurato ſacrificio idem prodigii evenit. Tertia quoque cæſa victima, diligentiuſque aſſervatis extis, neque allapſus ſerpentum arceri, neque fuga impediri potuit. Quod quamvis aruſpices ad ſalutem Imperatoris pertinere dixiſſent, Gracchus tamen non cavit, ne perfidi hoſpitis ſui Flavii inſidiis in eum locum deductus, in quo Pœnorum dux Mago cum armata manu delituerat, inermis occideretur. *Valer. l. 1. c. 6. & Alex. l. 5. c. 25.*

In lecto Sempronii Gracchi duo angues reperti, triſte omen dederunt. Ab aruſpice enim indicatum, ſi marem emiſiſſet, uxori brevi tempore eſſe moriendum: ſin feminam, ipſis. Quod cùm audiviſſet Sempronius Corneliam uxorem plurimùm amans feminam ex ſerpentibus emiſit: uxorem ſervavit, & ipſe paulò poſt è vita exceſſit. *Polydorus Virgilius l. 3. Prodig.*

M. MARCELLUS captarum Syracuſarum, & Hannibalis ante Nolana mœnia à ſe primùm fugere coacti gloria inflammatus, cùm ſummo ſtudio niteretur, ut Pœnorum exercitum, aut in Italia proſterneret, aut Italia pelleret, ſolennique ſacrificio voluntates deorum exploraret: quæ prima hoſtia ante foculum decidit, ejus jecur ſine capite inventum eſt: proxima jecinoris duplex caput habuit. Quibus inſpectis, aruſpex triſti vultu, non placere ſibi exta, quia prima trunca, ſecunda nimis læta apparuiſſent, reſpondit. Sedes ſacræ aliquot de cœlo tactæ, & quod mures in æde Jovis aurum arroſiſſent. Nunciatum fuit quoque bovem locutum, & cum elephanti capite puerum natum ſuperſtitem fuiſſe. Ita monitus M. Marcellus, ne quid temerè conaretur, inſequenti nocte ſpeculandi gratia cum paucis egredi auſus, à multitudine hoſtium in Brutiis circumventus, æquè magnum dolorem, ac detrimentum patriæ, interitu ſuo attulit. *Valer. lib. 1. c. 6. & Plut. in Marcel.*

Caput extortum (eſt ea jecoris pars) defuit C. Mario cùm immolaret Uticæ. Item Cajo principi Calend. Januariis cùm iniret conſulatum, quo anno interfectus eſt. Claudio ſucceſſori ejus, quo menſe interemptus eſt veneno. *Plinius lib. 11. cap. 37.*

C. CLAUDIUS, & PETILIUS conſules, cùm, ut moris erat, immolaſſent victimas, jecur ſubitò tabuit. Nec ita multò poſt Claudius morbo, Petilius Ligurum armis interiit. *Polydorus Virgil. l. 3. Prodigiorum.*

CN. OCTAVIUS conſul dirum omen, quemadmodum timuit, ita vitare non potuit. E ſimulacro enim Apollinis per ſe abrupto capite, & ita infixo humi, ut avelli nequiret, armis à collega ſuo L. Cinna (qui C. Marium ex Africa revocarat) diſſidens præſumpſit animo ea re ſignificari exitum ſuum: in quem metu augurii, triſti fine incidit, ac tum demùm immobile dei caput terra refigi potuit. *Val. l. 1. c. 6. & Sab. l. 3. Ennead. 6.*

M. BRUTUS, & C. CASSIUS, Cæſaris interfectores, Sardeis convenerant. Cùm tranſmiſſuri ex Aſia eſsent, tetrum oſtentum dicitur Bruto factum. Fuit natura vigilans, & ſomnum in exigui temporis portionem laboribus, & continentia contrahebat. Interdiù quieſcebat nunquam: noctu tantiſper, dum omnibus ſopitis nihil eſſet omnino, quod ageret, aut quocum colloqueretur. Noctis conticinio luna non admodùm lucebat: totus autem exercitus tenebatur ſilentio. Brutus verò volvens aliquid animo, & reputans ſecum, viſus eſt aliquem ingredientem ſentire. Reſpiciens ad januam, ſpectrum cernit dirum, & prodigioſum immanis, & horrendi corporis, ſilentio ſibi aſſiſtenti. Suſtinens rogare, Quiſnam, inquit, aut hominum, aut deorum es? aut qua de cauſa ad nos veniſti? Subjecit ei ſpectrum: Tuus ſum, Brute, malus genius, in Philippis me videbis. Cui nihil perculſus Brutus, Videbo, inquit. Eo ex oculis elapſo, pueros ſuos vocavit: qui neque ſe audiviſſe vocem aſſeruerunt, neque conſpexiſſe viſionem illam. Ac tunc quidem iterùm Brutus lucubravit. Ubi diluxit, ad Caſſium profectus narravit ei ſpeciem illam. Philippis occiſo Caſſio, cùm victor ad ſecundùm prælium deſcendere pararet, in quo victus eſt, nocte ſpectrum illud referunt iterùm Bruto obverſatum, eandemque repræſentans viſionem, nihil locutum ſed dilapſum fuiſse. *Plut. in Bruto.*

Apud Actium M. Antonii fractis opibus, C. Caſſius Parmenſis, qui partes ejus ſecutus fuerat, Athenas confugit. Ubi concubia nocte, cùm ſolicitudinibus, & curis mente ſopita in lectulo jaceret, exiſtimavit ad ſe venire hominem ingentis magnitudinis, coloris nigri, ſqualida barba, & capillo demiſſo: interrogatumque, quiſnam? reſpondiſse κακοδαίμονα. Perterritus deinde tam tetro viſu, & nomine horrendo, ſervos inclamavit: ſciſcitatuſque eſt, ſi quem talis habitus, aut intrantem cubiculum, aut exeuntem vidiſsent? Quibus affirmantibus, neminem illuc acceſſiſse, iterùm quieti, & ſomno ſe dedit: atque eadem animo ejus obverſata eſt ſpecies. Itaque fugato ſomno, lumen introferri juſſit, pueroſque à ſe diſcedere vetuit. Inter hanc noctem, & ſupplicium capitis, quo eum Cæſar affecit, parvulum admodùm tempus interceſſit. *Val. Max. lib. 1. c. 7. & Suet. in Aug. & Plut. in vita Antonii.*

Equi, quos C. Jul. Cæſar initio belli in Rubiconis trajectu conſecravit, vagique, & ſine cuſtode ut emeriti paſcebantur, ſub tempus, quo ipſe jam dictator interfectus eſt, pabulo abſtinere comperti ſunt, atque ubertim flere. *Sabell. lib. 9. cap. 7. ex Suetonio.* Eo die, quo purpurea veſte velatus, aurea in ſella conſedit, priùs quàm civium oculis conſpectum ſuum offerret, cultui religionis vacavit: mactatoque opimo bove, cor in extis non reperit. Reſponſum ei è Spurina aruſpice pertinere id ſignum ad vitam, & conſilium: quod utraque hæc, corde continerentur. Nec multò poſt vita ei à conjuratis erepta fuit. *Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. & Plut. in Cæſare. Plinius lib. 11. c. 17.* eo die ſacrificanti cor bis defuiſſe: adeòque miratus, quomodo ſine corde vivere potuerit victima. Ante ejus cædem Strabo Philoſophus tradit multos viros flammeos incurrere viſos: militis ſervum ingentem flammam è manu emiſiſſe, eamque viſam conſpicientibus ardere, ubi extincta eſt, nihil hominem mali habuiſſe. *Plut. in Cæſare.*

M. ANTONIUS à Cæſare Octavio in Ægypto obſeſſus, ultima experiri ſtatuerat. Circa noctis conticinium fama eſt, cùm ſilentium, & mœſtitia ex metu, & expectatione eventus teneret civitatem, repentè omnis generis organorum exauditam ſymphoniam, ſtrepitumque turbæ cum clamore Bacchico, & tripudiis ſatyricis, velut ſacris Liberi patris, choro non ſine ingenti tumultu erumpente: conceſſiſſe hanc turbam, quæ ingens eſſet, media fermè urbe ad portam, quæ foras ad hoſtes ducebat, atque ea evaſiſſe. Viſum eſt autem prodigium hoc reputantibus à deo quem præcipuè effingere, & ad quem conſueverat ſe accommodare, eſſe Antonium deſtitutum. *Plut. in Antonio.*

Ante obitum Auguſti ſol totus defecit, & cœlum latè ardere viſum, & ſtellæ crinitæ ſanguineo colore apparuerunt. Indictoque propter morbum ejus ſenatu, ut pro ſalute ejus vota nuncuparentur, curia clauſa eſt inventa. *Zonaras.*

Eo anno, quo mortuus eſt Tiberius Cæſar, in Ægypto phœnix conſpectus, & Tiberis Romæ inundans ejus mortem portendere viſus eſt. *Zonaras.* Turris Phari terræmotu Capreis concidit. Ac Miſeni ejus favilla, & carbonibus ad calefaciendum triclinium illatus, extinctus, & jamdiù frigidus exarſit repentè prima veſpera, atque in multam noctem pertinaciter luxit. *Suetonius.*

Olympiæ paulò ante cædem Caligulæ ſimulacrum Jovis, quod diſſolvi, transferrique Romam placuerat, tantùm cachinnum repentè edidit, ut machinis labefactatis opifices diffugerint. Supervenitque illicò quidam Caſſius quoque nomine, juſſum ſe ſomnio affirmans immolare taurum Jovi. *Suetonius in Caligula.*

AGRIPPINA Claudii uxor anno, antequam moreretur, cùm eſſet in Germania in Ubiorum urbe, quæ ab ejus nomine Agrippina Colonia poſteà fuit dicta, in ea urbe, agroque magnis hiatibus aperta tellus ignem emiſit, omnia conſumentem: qui neque aquis, neque alio humore extingui poterat, ſaxis, aut pannis duntaxat opprimebatur. Id quod imperante Tito quoque contigit, anno poſt Veſuvii incendium, nec multo ante ejus mortem in urbe Roma. Ignem enim terra emittebat, quo Capitolium, compluraque alia ædificia (ut Dion Græcus ſcribit) incenſa fuerunt: neque ab hoc multùm diſſimile fuit, quod parentum noſtrorum ætate contigit, cùm Carolus Burgundionum Dux Gendrenſem cepit urbem. Incenſa enim humo nulla conſpecta flamma, herbarum, arborumque radices comburebantur, atque ab ea regione penè in Burgundiam uſque malum illud penetravit. *Fulgoſus lib. 1. capite* 4.

Ante Neronis mortem in curia barbaricum murmur cum multo riſu, & tumultus in theatro cum magno fletu auditus eſt, cùm ibi nemo hominum eſſet. Onuſtæ naves armis ſponte in Hiſpaniam ſine nautis appulerunt. In Albano ſanguine pluit. Ambæ fores, & Mauſolei (in quo Cæſarum erant ſepulcra, ex quorum progenie ultimus erat Nero) & cubiculi, ſponte ſua patuerunt. *Xiphilinus ex Dione.*

GALBA ex Hiſpania Romam redeunte, terra tremere, & mugire viſa, mortem ei prænuntiavit. *Suetonius.* Ad XVIII. Cal. Februarias, interfectus eſt ab Othone: quo die prima ſtatim luce in Palatio aſſiſtentibus amicis ſacrificavit. Aruſpex Umbricius, ut primùm hoſtiæ exta in manus ſumpſit, prævidere ſe non per ænigmata, ſed apertè ſigna ingentis turbæ ait, atque ex inſidiis diſcrimen cervici impendens imperatoris. Ita Deus tantùm non Othonem manu prehenſum incitavit. Aſtabat enim à tergo Galbæ, atque his, quæ ab Umbricio referebantur, & oſtendebantur, animum advertebat. Commoto, & colorem variè præ metu mutanti aſſiſtens libertus Onomaſtus, adeſſe dixit, & præſtolari eum domi architectos. Signum id erat temporis, quo militibus Otho debebat occurrere. Itaque cauſans, ſe veterem domum emiſſe, cujus vellet vitia oſtendere venditoribus, abſceſſit, & à prætorianis Imper. ſalutatus, Galbam interfecit. *Plutarchus in Galba.*

Ante Titi Veſpaſiani mortem (qui Domitiani frater fuit) in Campania prope Veſuvium montem terra pavore tremuit; in cœlo, & in terra Gigantum ſimulacra conſpecta etiam interdiù uſque ad ipſam urbem. Veſuvius ignes evomuit, favillis in urbem uſque penetrantibus. Aer per multos dies in noctis ſpeciem caliginoſus, Gigantum ſimulacra exhibebat, turbarumque ſonus magno omnium terrore exaudiebatur. *Fulg. l. 1. c. 4. ex Dione.*

Ante mortem Domitiani Imp. continuis octo menſibus tot fulgura facta, nunciataque ſunt: ut exclamaverit, Feriat jam quem volet. Tactum de cœlo Capitolium, templumque Flaviæ gentis: item domus Palatina, & cubiculum ipſius: atque etiam à baſi ſtatuæ triumphalis titulus excuſſus, vi procellæ in monimentum proximum decidit: Arbor, quæ privato adhuc Veſpaſiano everſa ſurrexerat, tunc rurſus repentè corruit. Iridi ſimilis nubes (στεφάνην vocant) ſolem circumdedit, ejuſque lumen obſcuravit, portendens Domitianum à Stephano eſſe jugulandum. *Suetonius.*

TRAJANO Imp. apparebant irides, tonitrua, fulgetra, grandines immenſæ cum gravibus tempeſtatibus, quoties Romanus cum hoſte, Agarenos Arabas obſidente, confligeret. Cùm verò veſcerentur, ſubita muſcarum vis eduliis, & poculis inſidens, fœdo contactu cuncta Romano moleſta, & inamœna faciebat. Inde igitur re infecta digreſſus, ac paulò poſt adverſa valetudine correptus, ingraveſcente indies morbo, omiſſa Meſopotamia, in quam expeditionem parabat, in Italiam navigaturus, relicto P. Ælio Adriano in Syria cum legionibus, apud Selinuntem Ciliciæ periit. *Cuſpinianus A. D.*

PERTINAX Cæſar, paucis diebus, ante quàm periret, fertur dixiſſe ſe, cùm in vivarium inſpiceret, in aqua umbram conſpexiſſe, quæ ſtricto gladio mortem minabatur. Eidem ſacrificanti in victima cor inventum non eſt. Quod cùm ei malum ominari videretur, & propterea iterùm quærendo laboraret, hepar quoque defuiſſe compererunt. *Sabellicus libro 1. cap.* 4.

Sub mortem M. Antonini Pii ſerpens crinita ingentis magnitudinis apparuit, quæ apprehenſa mordicùs cauda, ſemetipſam ſupra dimidiam partem devoravit. Infans quoque biceps natus eſt, iis oſtendebatur, ab annis, id eſt, ab ævo Antoninum conſumptum iri, ac Philoſophum, & Verum ceu duo capita ei ſucceſſuros. *Fulgoſus libro 1. capite* 4.

In Commodi Imp. exitu cometes apparuit. A multis templis, quæ erant in urbe, cum ſimulacris, deorum effigies quoque abire viſæ ſunt. *Ibidem.*

GORDIANO Imper. creato, populus Romanus deliciis, & voluptatibus vacavit, ut quæ prius aſpera geſta erant, mitigaret. Sed mox tanta eclipſis Solis facta eſt, ut nox crederetur, neque quicquam ſine luminibus accenſis agi poterat. Quod ſanè indicium fuit imperii haud diuturni. *Cuſpinianus A. D.*

P. ANNIO TACITO Imp. mortis præſagia fuere, ſponte patefactum parentis ſepulcrum: item, quod jam mortuæ matris umbra ei apparuit: neque ſine horrore, diverſa in ſpecie, locoque fratris manes. *Fulg. l. 1. c. 4.*

Biennio ante mortem Conſtantini Magni Cometa inuſitatæ magnitudinis fulſit. *Eutropius libro 11. Oroſius libro 7. capite 19.*

CONSTANTINUS Imper. à bello Perſico ad opprimendum in Gallia Julianum converſus, ex Antiochia Tarſum progrediens, nocturnis terrebatur umbris: & confeſſus eſt familiaribus, ſe eſſe deſertum à genio ſuæ tutelæ, ac ſalutis auctore: qui familiarius olim ſecum multa commentatus, tum ſqualidus, & horrendus ſibi videretur, tanquam eum deſerturus. *Cuſpin. A. D.* Aprunculus orator Gallus, aruſpex, qui poſteà Narbonæ præfuit, jecur victimæ cum duabus tunicis ipſi Juliano oſtendit, maximè de futuro eventu ſolicito, & Conſtantium Imperatorem, à quo defecerat, mortuum eſſe indicavit. Jecoris caput Imperatorem ſignificabat, ut qui orbem velut jecur ſuſtineat, ac mutet. Tunica, jam oppreſſum, & inutilem, quaſi vinculis impoſitis, uti mortuis ſolet. *Cardanus de rer. variet. l. 15. c. 83.*

JULIANUS Imperator, ea nocte, quæ diem mortis ipſius in Perſide anteceſſit, cùm in tentorio lectioni operam daret, horroris plenam umbram efferri ſibi intuitus, & præ formidine conſurgens, ut è tentorio eam egredi conſpexit, putavit genium ſuum eſſe, qui ſe morti jam vicinum deſereret, *Fulg.l.1.c.4.* Narrat *Aurelius Victor, In Juliano*, terræmotus vetuiſſe expeditionem Juliani Imp. in Perſidem: & nocte diem, qua interiit, præcedente, ingentem globum cœlo labantem viſum.

VALENTINIANO I. cùm in ſuperiore Pannonia eſſet, imminentis mortis multa conſpecta ſigna. Nam & crinita ſtella refulſit, Sirmienſe Palatium de cœlo tactum, curiæque, & fori pars incendio conflagravit. *Sigon. Imper. occid. libro 7.*

Terræmotus graves, & ingentes pluvias, & caligines tenebroſiores ſolito, obitum Theodoſii Magni Imp. præceſſiſſe, *Ambroſius* annotavit *in oratione de exitu, & vita, & virtutibus Theodoſii, Tomo tertio.*

Anno 21. Juſtiniani, quo Auguſta Theodora Imperatoris conjux vitam finivit, magnus globus in magna templi ſtructura collocatus, ex terræmotu decidens, menſam, atque ambulacrum ſuperius contrivit. *Zonaras Tomo tertio.*

ISAACIUS COMNENUS Imp. Conſtantinopolitanus, cùm circa novam urbem venaretur, aper terribili ſpecie ad mare properans apparuit. Eum cùm inſectaretur, ille in mare incidens diſparuit. Imp. turbatus, equo decidit, ſpuma circa os apparente. Poſt aliquandiù ægrotans, ad deſperationem reductus, caput radi curavit, & monaſticum habitum aſſumens privatus poſteà vixit, Conſtantino Ducæ tradito imperio. Hæc *Zonaras, ex Thraceſco.*

ALIQUOT antè quàm moreretur Conſtantinus Imper. Leonis F. diebus, poſt veſperam, lapides de ſublimi confertim in ipſius domum vehementi impetu conjecti, ingentem ediderunt fragorem. Quos Conſtantinus putans à cœnaculis Magnauræ deferri, per aliquot noctes cuſtodes collocavit, ſi quem eorum opera deprehendere poſſet iſta auſum. Sed ignorabat, fruſtrà ſe laborare: cùm id non ab hominibus, ſed à ſublimiore aliqua profectum eſſet poteſtate. *Cedrenus, & Zonaras.*

ANDRONICI Senioris Imperatoris obitum multa oſtenta prænunciarunt: Primum, eclipſis ſolis tot ante diebus, quot annos ille vixerat. Hanc ſecutus eſt lunæ defectus, eumque terræmotus ea veſpera, qua D. Antonii memoria, cujus illi nomen inditum erat, veteri more à Chriſtianis celebrabatur die Februarii duodecimo, quem inexpectati ejus obitus conſecutura erat veſpera. Cùm autem è meridiei barathris vehemens ventus erupiſſet, marini fluctus ita efferati ſunt, ut ſuos egreſſi limites multas muri maritimi, & orientalis partes proſtraverint, & multas illius portas effregerint: & hoſtium inſtar irrumpentes, multa ædificia quoque urbana inundarint. Tum quoque multæ ferreæ cruces templis impoſitæ, impetu ventorum deciderunt. Columna quoque olim ante ædem quadraginta Martyrum poſita, concidit, quæ juxta baſim uſtulata, & confracta, prætereuntibus non ſine cauſa ruinæ metum incutiebat: ut aliquando proceres quidam Imperatorem illac prætereuntem, monerent, ne propius accederet. Quibus ille fortuitò reſpondit: Utinam tandiù ego viverem, quandiù hæc columna ſtabit. *Gregoras libro 9.*

Imago divi Pauli, antiquæ manus opus, quam auro exornatam in S. Quadraginta æde repoſuit Andronicus Comnenus tyrannus, lachrymari viſa. Hagiochriſtophorita Stephanus Imp. juſſu Pauli pupillas puriſſimo linteolo abſterſit. Ac lachrymæ magis etiam tanquam ex fonte exuberarunt. Andronicus diù agitato capite, cum gemitu dixit, Paulum ſua cauſa lachrymaſſe, ac graviſſimam ſibi cladem impendere. Se enim ex animo amare Paulum, & ejus dicta maximi facere, & à Paulo utique amari. Neque vero multo poſt diebus ſuſpenſus inter horribiles cruciatus expiravit. *Nicetas libro ſecundo.*

THEODORUS METOCHITES LOGOTHETA, quadam nocte terribilem quendam hominem videre viſus eſt ſibi jacenti aſtantem, prædoni, & agreſti latroni perſimilem, qui manus ſibi iniiceret, & de cervicali cubiculi claves eripere vellet, in quo ſupellex, & gemmæ repoſitæ erant, & quidquid opum habebat. Exterritus inclamavit famulos, ut prædonem perſequerentur, ne unà cum pecunia aufugeret. Qui cùm ſtatim ſurrexiſſent, & fores clauſas reperiſſent, & affirmaſſent imaginationem eſſe è diurnis cogitationibus ortam: vix ad ſeipſum reverſus, graviſſimo cum ſuſpirio, non tam diurnarum curarum imaginem, quàm præſagium everſionis familiæ ſuæ indicavit. *Gregoras lib.9.*

ANTHARIS Longobardorum rex, Garibaldi Bavarorum regis F. Teodolindam ſponſam in agro Veronenſi excepit. Non procul inde tacta de cœlo arbore, Agilulfus Taurinenſium dux conſulto aruſpice, reſponſum tulit, Theodolindam Anthari virginem nubere, ſed paulò poſt Agilulfo viduam. Auſpicii fidem exitus confirmavit. Nam Antharis, cùm ſex annis regnaſſet. Ticini veneno abſumptus eſt. Longobardi Theodolindæ ejus uxori, poteſtatem fecere, quem virum optaret, ſibi ſumeret. Illa Agilulfum elegit. *Bonfin. l.8.] Decadis primæ.*

Anno altero, quo Carolus Magnus obiit, ſol obſcuratus eſt, & luna pallorem recepit: terræmotus accidit, cometa exarſit, & alia dira prodigia conſpecta, & audita ſunt in terris. Unde *Eginardus in vita ejus*, inquit; Poſt tres continuos, vitæque termino proximos annos, & Solis, & Lunæ creberrima defectio, ac in ſole macula quædam atri coloris, ſeptem dierum ſpatio viſa: porticus, quam inter baſilicam, & regiam operoſa mole conſtruxerat, die Aſcenſionis Domini, ſubita ruina uſque ad fundamentum collapſa. *Robertus Gaguinus* pilam è templi faſtigio fulmine dejectam eſſe ſcribit. Et *Zonaras Tomo tertio, in vita Michaelis Rangabis: &* *Paulus Diaconus libro 24. rerum Romanarum*, meminerunt ſtellæ crinitæ, quæ ſubinde formam mutarit, & aliquando in hominis ſine capite figura viſa ſit.

Anno Domini 779. cum Carolus Magnus cum Agolando Africano manus eſſet conſerturus, pridie in pratis, juxta fluvium Cojam, haſtæ quorundam militum in terram defixæ ante caſtra, manè corticibus, & frondibus decoratæ inventæ, iſtis, quorum fuerant, portendere martyrium, quandoquidem in acie omnes ceciderunt. Non ita multo poſt, cùm eſſet prælium ineundum cum Furre rege Navarræ, Carolus divina revelatione rubeum ſignum crucis in humeris conſpexit eorum militum, qui eſſent in acie perituri. Quod fatum ut averterent, iſtos in oratorium quoddam recondidit. At illi etiam in tuto illo loco mortui ſunt. *Erford. capite 68.*

Mortem Ludovici II. Imperatoris ingens cometes ſolito rutilantior præceſſit, & maxima aquarum inundatio. *Cuſpinianus A.D.*

LUDOVICUS Balbus Compendii morte abſumptus eſt, Idibus Aprilis, anno ſalutis octingenteſimo octogeſimo, in divæ Mariæ æde ſepultus. Cujus mortem inſignis ſolis eclipſis menſe Octobri præceſſit, adeò denſis tenebris, ut ſtellæ in cœlo in meridie cernerentur. Deceſſit autem, cùm jam regnaſſet, imperaſſetque vix dum biennium, veneno (ut quidam tradunt) è medio ſublatus, gravida relicta uxore. *Idem.*

Anno Domini 1106. cometa verè apparuit mirè lucidus. Inde mors ſecuta eſt Henrici quarti Cæſaris.

ALBERTUS primus Imperator, cùm à nepote ſuo per inſidias confoderetur, crinita ſtella eſt viſa, anno Chriſti 1301.

Anno Domini 1264. crinita ſtella ſupra tres menſes apparuit, cujus cauda virgam referebat, quam ab oriente in medium cœlum ſpargebat. Conradinus Suevus, dum regnum hæreditarium Siciliæ petit, à Carolo rege ſuperatur: & captus, ſuaſu Pontificis ſecuri percutitur. *Jobus Vincelius de miraculis.*

DUNSTANUS Epiſcopus Cantuarienſis, cùm ex ſcurrilibus dæmonis cujuſdam ante ſe ſaltantis geſticulationibus Edmundi regis obitum cognoviſſet, ad aulam regiam incitato curſu contendens, in medio itinere de obitu regis certior factus eſt. *Vincentius l.24.c.71.*

Impendente morte Alberti Epiſcopi Bremenſis necromantici, viſæ ſunt lachrymæ ex crucibus emiſſæ: porci, caneſque in templo, qui ab altari vix poterant repelli: nec non lupi in ſuburbio Bremenſi gregatim ululantes, horribilique jurgio cum Bubonibus certantes, annum circiter milleſimum ſeptuageſimum ſecundum. *Crantizus Metrop. libro 5. capite 20.*

Anno 1351. grandis ubique per Germaniam ſæviit peſtis, Lubecæ in conventu Prædicatorum audivit Frater ex converſis, qui curam haberet præ cæteris coquinæ, nocte unà ſubter ſe cùm in ſtrato eſſet in hoſpitali domo, ſtrepitum, & intereà vocem loquentis ad feneſtram coquinæ. Cocce para cibum abituris fratribus. Et ille intus, Quot ſunt tranſituri? Tum ille. Triginta ſex de conventu, & duo advenæ cum illis profecturi. Miratus ille intempeſtam evocationem, de lecto ſurgens, intuetur per foramen in domum hoſpitalem:

videt aſſidere menſæ in albis numerum fratrum, quem audierat, velatis frontibus ut fieri ſolet jam tumulandis. Horrens rediit in lectum: nec audebat rem detegere. Sed cùm eventus omnia probaſſet, funeratis triginta ſex de conventu fratribus, & duobus, qui Hamburgo venerant, tum palàm dixit, quid antè vidiſſet. *Idem Vvandal.l.8.c.29.*

Anno 605. cùm menſe Novembri cometes conſpectus eſſet, prid. Idus Bonifacius III. Pp. obiit. *Sigon. reg. Ital.l.2.*

Tertio anno ante Malcolmi II. Scotorum regis necem, hora noctis circiter ſecunda natalis Chriſtiani, terra ingenti omnium cùm horrore mota eſt, vaſtuſque hiatus in Sterlingi vicinia ex eo terræmotu factus. Ex eoque ingens vis aquæ egreſſa, magna proximi nemoris partem ſecum in Fortheam traxit. Mare, ſequuto verè, majore quàm unquam anteà exundavit æſtu: Die D. Joannis Baptiſtæ ſacro, pruina fruges terræ omnes corrupit. Secuta fames ingens. *H. Boeth. libro 12.*

DUFFUS, Scotorum rex, à Donevaldo, arcis forenſis in Moravia præfecto, cujus amicos aliquot ob religionem ſtrangulari fecerat, hoſpitaliter exceptus, noctu jugulatus eſt: cadaver extra arcem elatum, in alveo fluvii vicini ſepultum. Donevaldus crimen in cubicularios reiiciens, eos incautos trucidavit. Cæterùm cùm per totos ſex menſes ſequentes, triſti ſemper facie cœlum, nec Solis nec Lunæ ſplendore ornaretur, ventorum procellæ, cum tonitru, & fulgetris horrendis perſtreperent, ſacrorum hominum ſententia, nefariam Duffi regis cædem his portentis indicari, nec niſi de ſontibus ſupplicium eſſet ſumptum, quietura: rex Culenus edoctus, ſupplicationibus, & jejuniis indictis, ſacra contingens, ultimis execrationibus dejeravit, ſe haud priùs quieturum, quàm regis Duffi mortem in perfidos Moravos diris pœnis ulciſceretur. Donevaldus, de regis expeditione certior factus, ne torturis cogeretur verum fateri, clàm conjuge, & domeſticis, in Norvegiam tranſmiſſurus, ſuſpicionem flagitii auxit. Ventorum flatu contrario in litus rejectus, cum quatuor percuſſoribus ſecuri percuſſus, viſcera flammis tradita, artus per Scotiam hinc inde in cruces elati. Duffi cadaver poſt ſextum menſem refoſſum, integrum, vividoque colore inventum. Eo ipſe momento cœlum pulis nubibus ſerenum factum, ſole lumine inſolito emicante; vicinos quinetiam campos, præter conſtitutionis naturam, multa florum varietate ferunt ornatos. Amni eo loco, ubi cæſi regis corpus conditum fuerat, pons, ſed aliquot poſt ſæcula, eſt impoſitus. Vico ad pontis terminum Kiloos, hoc eſt, templum florum, nomen inditum. Nunc ibi cœnobium eſt Ciſtercienſium. *H. Boethius lib.11.*

Quatuordecim diebus, antequam Malcolmus IV. Scotorum rex è vita decederet, Cometa duobus longiſſimis ardere radiis eſt viſus. *H. Boethius lib.13.*

Quo anno defunctus eſt Gulielmus Scotorum rex, in Martio duo cometæ, humano aſpectui terribiles, alter Solem præcedens, alter ſequens, viſi ſunt. Sequenti anno peperit bos in Northumbria capite, ac collo vitulum, cætera pullum equinum. In autumno verò lunæ duæ ſejunctæ patentibus duobus cornibus viſæ. *H. Boethius l.13.*

ALEXANDER III. Scotorum rex, mortua uxore Joanna, Mariam comitis Goverenſis F. duxit. In ipſis nuptiis, cùm pro more ſponſus ſponſam in chorea, ſubſequente magna feminarum, virorumque nobilium caterva duceret, in extremo loco effigies hominis mortui (ſceleton vocant) conſpecta eſt. Rex, cæterique attoniti, ludis deinceps abſtinuere. Alexandrum, & Davidem, & Margaritam, regis Norvegiorum uxorem, ex eo conjugio ſuſcepit. Cæterùm, mortua Maria, David matrem ſecutus eſt, mox Alexander, & Margarita, relicta filiola unica. Ipſe tertia uxore ducta, ex equo præceps ruit, in eoque ſtirps regia defecit. Eduardus I. Anglorum rex, Margaritæ filiæ parvulam cum regno in uxorem petit. Dum ad eam legati mittuntur, illa moritur. Itaque civile bellum inter Io Baliolum, & Robertum Bruſium, quorum uterque maternam ſtirpem in Davidem, regis Scotorum Gulielmi fratrem referebat, ortum. *H. Boeth. lib.14.*

HENRICI LEONIS Saxonum ducis præſtantiſſ. mortem, præceſſit Brunſuicenſis templi primarii fulmine accenſi exuſtio, quod tamen largo imbre ſedatum fuit, anno 1195. *Chron. Sax.*

Paulò ante Henrici II. Anglorum regis mortem, ex quodam lacu in Normannia piſces, noctu in terram exiliere, tanto ſtrepitu, ut multi mortales accurrerint illuc viſum miraculum, nullumque piſcem in lacu ſuperſtitem invenerint. *Polydorus lib.13.*

ALEXANDRI Polonorum regis obitum, cometes paucis antè diebus à Septentrione conſpectus portendit. Quin & globus igneus clariſſimus quadam nocte ſuper turrim curiæ ſenatoriæ, Cracoviæ decidiſſe viſus eſt. *Crom. l.30.*

Anno 1278. circùm Cracoviam nocte media, in qua initium novi anni eſt, cœlum clara, & non injucunda luce ad breve tempus reſplenduit, principis Boleslai Pudici mortem, quod re poſteà comprobatum eſt, portendens. *Crom. l.9.*

CAROLUS III. Hungariæ regno potitus, in Alba regali legitimè coronatus eſt: eodemque die Nonis Decembris, anni 1387. tantus Solis defectus apparuit, ut nunquam noſtro ſeculo major extiterit, quod ad breve tempus regnaturum eſſe portendit. Nam idibus Februariis proximè inſequutis à factione Mariæ Ludovici primi F. regni hæredis, ejuſque matris Eliſabethæ, in arce Budenſi pluribus vulneribus confoſſus eſt, & Viſſegradum tranſvectus, vigeſimoſeptimo die veneno periit. *Bonfin. lib.9. Dec.2.*

CAROLUS parvus Neapolitanus rex Albæ Hungariæ inaugurabatur. Increbreſcente Autumno triduo tam ſæva tempeſtas cœlum invaſit, ut nimbis, & tonitruis omnia quaterentur, deturbarentur domus, & valida ædificia, homines, ac pecora occubuere. Ipſe à conjuratis poſt cæſus. *Idem l.1. Dec.3.*

MARTINI Aragonum, & Siciliæ regis potentiſſimi mortem eclipſis Lunæ, & terræmotus ſemel cùm manè ſurgeret, iterùm cùm poculum à pincernæ manu accepturus eſſet, prænunciavere, anno Sal. 1409.

☞ *Vide ſuprà Prædictiones.*

SURREJUS, quem Henricus IIX. Angliæ rex, Gallico bello occupatur, præfectum regni reliquerat, Jacobum Scotorum regem, anno 1513. violato fœdere in Angliam irrumpentem, pugna victum occidit. Jacobo qui tertium diem pugnæ conſtituerat, cum ducibus de prælii ratione diſputante, lepus è prætorio proſiliens, ac mille petitus telis, per mediam ſtationem intactus evaſit. Quin & mures ea nocte lorum galeæ, fibulamque corroſerunt: & vela interioris tabernaculi ſub auroram ſanguineo rore conſperſa fuere. *Jov. l.11. Hiſt.*

Sub mortem Matthiæ Corvini regis Hungariæ, leones omnes, qui Budæ aſſervabantur, interiere. *Bonfin. libro 8. Decad.4.*

Arſit per aliquot dies ante Joannis Galeacii Vicecomitis mortem cometes ingens, lurida, & funebri, oblongaque cauda, versùs eam cœli plagam, quæ in Corum ventum obvertitur. Nec eo cœleſti prodigio indignus videri potuit, cùm nemo principum in Italia à Gothicis uſque temporibus repetita memoria, imperii magnitudine, & vitæ ſplendore eo clarior, atque potentior extiterit. *Jov. in Joan. Galeacio.*

LUDOVICUS XII. Gallorum rex, ſenex cum Henrico IIX. Anglorum rege pacem fecit, ducta in uxorem ejus ſorore Maria, quæ quinto Idus Octobris anni Salutis MDXIV. deducta fuit in Pontivum, nuptiæ Abbavillæ celebratæ. Ludovicus inde Lutetiam perrexit, quòd Mediolani recipiendi cauſa iter in Italiam habebat, ibique obiit. Sic Maria puella poſt octogeſimum diem, quàm nupſerat vidua relinquitur. Id quod portendit mala tempeſtas, tam terra quàm mari ſubitò orta in ejus tranſitu, duravitque ampliùs viginti diebus, adeò ut omnis puellæ comitatus valdè jactatus longè abiverit, ac alii ad alia loca delati, tardè ad eam redierint. *Polydorus lib.27.*

ALPHONSUS VI. Aſturum, & Caſtellæ rex victoriis clariſſimus, longo morbo, & ætate confectus erat. Octiduo ante mortem in nativitate ſancti Joannis, hora ſexta de lapidum ſubſtantia, qui erant in altaris gradibus cæmentati, aqua tribus diebus continuis emanavit. Petrus Legionenſis, & Pelagius Ovetenſis Epiſcopis, cum univerſo clero, & populo ab Eccleſia cathedrali uſque ad altare ſancti Iſidori, ubi hoc acciderat, proceſſerunt, & peracta miſſa, ad locum miraculi acceſſerunt, & ex ipſa aqua cùm lacrymis potaverunt. Hinc morte Regis audita, cognoverunt, luctum, & lacrymas Hiſpaniæ imminere. *Roder. Tolet. l.6. rerum Hiſp. c.35.*

Mortem Laurentii Medici varia præceſſere prodigia, uti magnis regibus accidere videmus: nam & crinita ſtella ſupra tectum Caregiæ villæ, ubi tum ægrotabat, decidere eſt viſa. Fulmen quoque ſubita ſecum cœli ſerenitatem adducens, pilam auratam, Mediceæ familiæ inſigne, & faſtigium è ſumma teſtudine maximi templi, cum terribili ingentium marmorum ruina decuſſit: leoque omnium, qui tum in cavea eſſent, nobiliſſimus, quod ſemper prodigii loco Florentiæ